D·PETRI VENERABILIS ABBATIS CLVniacensis,

uiri cum in humanis, tum in diuinis scripturis eruditiss. contra Heinricianorum & Petrobrusianorum hæreses, Epistolæ duæ multum neruosæ, & uere Catholicæ.


ARGVMENTVM EARVM IN PROxima pagina explicatur. Quibus adduntur S. Bernardi tres sermones, ac nouem Epistolæ.

HABES HIC CHRISTIANE LECTOR opusculum ante Quadringentos quidem annos scriptum, sed hactenus nobis Germanis, qui tamen præ cæteris illo opus habebamus, plane incognitum.

Cum gratia & Priuilegio.

INGOLSTADII IN OFFICINA Alexandri Vueissenhorn.

M. D. XLVI.



ARGVMENTVM HVius Libri.

HIS ADDVNTVR EX S. BERNARDO Abbate Claræ uallis Sermones Tres super Canticum Canticorum.

EX EODEM BERNARDO EPISTOLAE NOVEM.

Lege candite lector antiquitates istas, & legisse te minime pœnitebit.

REVERENDO
IN CHRISTO PATRI AC
Domino D. Philippo a Flörscheim, Episcopo Spiren. Principi suo clementiss. F. Ioannes Hofmeisterus August. S. P. D.



SICUT EOS QUI IN TANtis Ecclesiæ nostræ catholicæ turbis, sese uel ociosos spectatores, uel impios irrisores exhibent, omnium pessimos iudico, ita, Princeps humaniss. idemq; presul doctiss. eos qui turbatę Ecclesiæ suppetias ferunt, auxilio item & subsidio miseræ sunt, maximo honore dignos, merito me iudicare existimo. Quis uero nõ uideat turbatam Ecclesiam? Quis nõ uideat plures esse, qui ipsam porro perditam, quam bene ac fœliciter suę integritati restitutã, ex animo cupiant? Sic enim iam se habet Ecclesia, sicut olim Dauid, dum, a proprio & quem tenere amabat, persequutionẽ patiebatur, filio, unde et merito cũ Christo sponso dicere potest. Filios enutriui et exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Atqui ob hoc, de illius salute, nequaquam desperandum est. Pristinum sæculũ periculosiores ac intolerabiliores uidit tempestates, sed doctorũ atq; piorũ patrũ studio, cura, ac labore, procellę sedatę sunt, uenti obmutuerunt, omniaq; in exoptatissimam rediere tranquillitatem. Quod uero iam nostræ res penitus deploratæ uidentur, ij in causa sunt, qui uulneratæ & ægre infirmanti Ecclesiæ remedia adhibere, uel non uolunt, cum possunt: uel non possunt, etiam si maxime uelint. Sunt enim qui Ecclesiæ infortuniũ uident;

quomodo uero res ipsius in meliorem statum uerti possint, etiamsi maxime cupiant, non uident. Et sunt qui præsentissimum antidotum habent in manu, uerum quoniam non quæ Christi, sed quæ sua sunt quærunt, uolentes, uereor ne et in sinu gaudentes, sinunt res ecclesiæ in neruum, quod dicitur, abire. Quis enim, R. P. iam est inter partes (o inauspicatiss. uocabulum, uos unum estis in Christo, aiebat Apostolus) qui nō ultro fateatur in Ecclesia Christi, multa esse praua, multa correctione dignissima ? Quid igitur cessamus ? Quare tam oscitanter agimus ? Imo quare nihil agimus, quod ad tranquillitatem Ecclesiæ, uel aliquo modo facere queat ? Quare næuos, quos merito agnoscimus, non propere tollimus ? Si nos metipsos dijudicaremus, ait Apostolus, non utique iudicaremur. Quare medicas manus fugimus ? Consideramus subinde uultum nostrum in speculo, sed iuxta Apostoli iustam repræhensionem, quales simus, stulti obliuiscimur: humili illa Hissopi herba nos lauare detrectamus, fortunam nostram optimam imprudentes, uolentes tamen, a nobis repellimus, atque adeo dei iram, nostro maximo malo, in nos prouocamus. Sunt quidem, ut uera fatear, sed paucissimi, quos non porro cessatores appellare possis, sunt quibus Ecclesia uidetur cordi esse. Et in horum albo, te non infimum tenere locum, opt. Præsul, mihi a multis, qui te propius nouerunt, persuasum est, ut qui non solum quod in te est reformationi Ecclesiæ studes, sed & alios, ut idem faciant, sedulo inhortari soles, Et quidem hæc pro officio tuo facis. merito, quod ut perpetuo facias, non solum sacræ Literæ, sed etiam ipsum officij tui nomen plus satis admonere, & quasi sponte currenti, calcaria addere potest. Speculatorem te dedit Dominus

Israeli,

Israeli,ait ꝓpheta. Possũt te etiã eius rei,scilicet ut Christi spõ
sam diligenter,& fideliter cures, admonere exempla præde
cessorum tuorum,qui & ipsi,quum impia dogmata Eccle-
siam nostram occupatam habebant, fortiter se quasi murũ
pro illa ponebant,gnauiter laborabant, uiriliter dimicabãt,
ardentissimo erga sponsam Domini sui mouebãtur affectu.
Non tibi iam recensebo uetera illa Ecclesiæ columina, Cy-
prianos,Ambrosios,Hieronymos,Augustinos, Chrysosto
mos, & reliquas Christianorum militum turmas. Propin-
quiora & recentiora sunt exempla,& quæ etiam nobis no-
tiora esse debebant,si modo ij sumus,aut esse potius, quam
audire uolumus, quod uocamur et audimus.Habuit uetus
Ecclesia, ceu diximus, suos aduersarios:habuit etiam suos
propugnatores.Habuit medium sęculum suam pestẽ,nun-
ꝗ enim et nuſꝗ cessauit ueterator ille Satanas, spõsam Chri
sti persequi,nunc,quemadmodum D.Augustin.ait,ut Leo
aperte rapiens,nunc ut Draco occulte insidians:neq; tamen
defuere fortissimi Dauides,qui stolide glorioso Goliatho
ausi fuerint in faciem resistere,cum illo & in arenam descẽ-
dere,& manus conserere.Quod si eius rei exempla quæras,
immo ut rem ipsam sic se habere uideas,atq; exemplũ,quod
merito imitere,habeas,ecce tibi,R.P.hic ad te mitto Doctis
simum illum Petrum Cluniacensem, uirum eruditione &
uitæ sanctimonia nobiliss. atq; Ecclesiæ nostræ catholicæ ꝓ
pugnatorem fortiss.qui quam fideliter ante quadringentos
annos Ecclesiæ suam operam locarit, quam strenue illius
sancta atq; infallibilia dogmata defensarit,ex hoc illius intel
liges opusculo. Sicq; intelliges,ut post hac minus miraberis
hostium Ecclesiæ insolentiam, & bonam spem concipies fo
re,ut illi tandem,suo ipsorum malo intelligant, Ecclesiã ue-
re supra firmam Petram ædificatam: Inferorumq; portas,

nunquam aduersus illam preualituras. Qualia porro fuerint tempora, quæ facies Ecclesiæ dum hæc D. Petrus noster scriberet, ex hoc ipso opere, itē ex D. Bernardi (nam hij Synchroni fuerunt) Homilijs in cantica canticorum, & ex historiographis intelliges. Ego ne alicui negotium hoc odiosius persequi uidear, multa hic dissimulabo, quæ prudēs Lector, per se deprehendet. Quis item uel qualis Petrus hic Cluniacensis fuerit, quam magni nominis, quam solidæ eruditionis: quum ex his unguibus Leonem, quod dicitur, deprendere possis, nihil est quod addam. Hoc autem quicquid est, Præsul digniss. T. R. P. dedicandū putaui, ut post hac te tui instituti minus peniteat: de Ecclesiæ dogmatis, quæ iā in cōtrouersiam trahūtur, minus sis solicitus, sed potius bona spe tenearis breui fore, ut is qui olim Ecclesiæ suæ pacem dedit, etiam eam ipsam illum nobis tempore opportuno redditurum. Sunt & aliæ causæ quæ me ut hoc operis tibi inscriberem, admonuerunt, ex quibus multis, hæc nō postrema est, quod hoc nomine gratificari uolui R. P. D. Ioanni Stoer. Monasteriorū Murbacen: & Lutren. Abbati dignissimo, qui quantum amet Ecclesiam, quantum te, quantū me, ut describam, epistolaris angustia prohibet: Huius igitur consilio, hoc hortatore, quod uides, institui. Adde quod affinis tuus Chariss. D. Philippus ab Helmstāt, Ecclesiæ Murbacen: Cantor, & discipulus meus diligentissimus, obnixe rogauit, ut R. P. T. hoc opusculo honorarem, donec ipse affectum suum in te, alio & proprio munere literario declarare possit. Tanto gratior igitur T. R. P. hæc sit inscriptio; quanto gratiores tibi sunt, quorum impulsu hoc a me factū est. Cæterum ne & hoc taceam, Exemplar huius operis nobis dono dedit V. Pater, uir eruditiōe ac pietate insignis D. Ioannes Chonradi, Præpositus Monasterij D. Petri apud Colmarienses

Hom. 65. & 66.

Colmarienses nostros, uir dignus qui a studiosis digne ametur, ipse bonarum rerum studiosissimus. T.R.P. interim ecclesiæ concordiæ ex animo studeat, & me amare pergat. Deus opt. Max. T.R.P. in multos annos seruet incolumem. Colmariæ ante penul. Februarij. Anno. 1544.

VITA D. PETRI VENErabilis ex Ioanne Trittenhemio.

PEtrus Abbas Cluniacensis, ordinis. S. Benedicti, uir in diuinis scripturis iugi exercitatiõe doctus, ingenio placidus, sermone dulcis atq; cõpositus, & ad persuadendum satis idoneus: conuersatione deuotus & laudabilis, ac regularis obseruantiæ zelator insignis: Nomen suum scribendo posteris notificans, ad utilitatem legentium quædam deuota composuit opuscula, de quibus ista feruntur.

Reuelationes multorum. lib. I

De conuersatione Hæremitica. lib. I. Suscepi literas dilectionis.

Epistolarum ad diuersos. lib. I.

Alia quoq; nonnulla ædidit, quæ ad noticiam meam non uenerunt. Vixit autem Anno Domini. M. C. XL.

EPISTOLA

EPISTOLA PRIMA.



OMINIS ET PATRIBVS Magistris Ecclesiæ dei, Arelatensi, & Ebredunensi Archiepiscopis: Diensi & Vuapicensi, Episcopis, Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas, Salutem & obsequium. Scripsi nuper Epistolam reuerentiæ uestræ, contra hæreses Petri de Bruis disputantem, sed innumeris & magnis negotijs a dictando animũ, a scribendo stylum retardantibus, hucusq; mittere distuli. Mitto nunc tandem eam prudentiæ uestræ, ut per uos hæreticis (contra quos scripta est: & etiam Catholicis, quibus forsitan prodesse poterit) innotescat. Vobis eam mitto, quoniã in partibus uestris, aut circa easdem, stulta illa et impia hęresis more pestis ualidæ multos interfecit, plures infecit, sed gratia dei concitante et adiuuante studia uestra, a uestris regionibus sese paululum remouit. Migrauit tamen (sicut audiui) ad loca satis uobis contigua, & a Septimania uestra (uobis persequentibus) expulsa, in prouincia Nouempopulana (quæ uulgo Gasconia uocatur) et in partibus ei adiacentibus, sibi foueas præparauit. In quibus nunc se timore occultans, nunc de ipsis audacia assumpta prodiens, quos potest, decipit, quos potest, corrumpit: & nunc istis, nunc illis, lætalia uenena propinat. Hæresis Petri de Bruis.

Vestrum est igitur (ad quos præcipue tam ex officio q̃ ex singulari scientia in partibus illis cura Ecclesiæ dei spectat & quibus ipsa uelut fortibus columnis maxime innititur) uestrum est (inquam) & a locis illis in quibus se lati- Officiũ Episcoporum contra hæreses.

bula inuenisse gaudet, & prædicatione, & etiam si necesse fuerit, ui armata per Laicos exturbare.

Quæ utilitas huius cõtra hæreses Epistolæ.

Sed quia maiorem operam eos conuertendi quam exterminandi, adhibere, Christianam Charitatem decet, proferatur eis autoritas, adhibeatur & ratio: ut si Christiani permanere uolunt, autoritati: si homines, rationi cedere compellantur. Proderit eis fortassis ad ista, si attendere uoluerint, ea quam uobis contra ipsorum errores scripsi, Epistola: et si contentiosi et pertinaces esse nolunt, fortassis ea studiose perlecta (licet ualde desipuerint) a tanti erroris stulticia resipiscere poterunt. Quod si in reprobum sensum dati fuerint, & magis desipere q̃ sapere perire quam saluari, mori quam uiuere elegerint, satisfaciet forsitan lecta epistola occultis aliquorum Catholicorum cogitatibus, & mentes eorũ aut ab ignoto hominibus fidei languore sanare, aut cõtra eos, quorum lingua a Propheta gladius acutus dicitur, præmunire poterit. Hoc enim quod in ultimo posui, maior mihi fuit causa scribendi: ut etsi hęreticis scriptura illa prodesse non posset, Ecclesiæ tamen dei aliquibus utilitatibus inseruiret.

Psal. lvi.

Ecclesiæ mos ut hæreses & retegat & Confutet.

Nam istud, sicut sapientiæ uestrę notũ est, per retroacta sęcula sẽp facere cõsueuit: ut de tot tãtisq; hęresũ uarietatibus, quę eius synceritatẽ frequent' fermentare conatę sunt, nullã unq̃ silentio prętcriret: sed ad cautelam sui, et ad perpetuam omnium instructionem, autoritatibus sacris, et etiã rationibus, omniũ hereticorũ blasphemias expurgaret. Quod ego, licet de minimis corporis Christi, hoc est, eius Ecclesię membris, ista scribẽdo facere nisus sum: ut q̃d scripsi, hęreticis, si fieri posset, prodesset: catholicos in quorũ manus incideret, contra nephandum dogma uel similia, cautiores redderet.

Petrus de Bruis Hæreticus.

Et quia prima erronei dogmatis semina a Petro de Bruis p uiginti fere años sata & aucta, quinq; precipua & uenenata uir-

ta uir-

ta uirgulta produxerunt, contra illa maxime, ut potui, egi: ut circa ea se animus & uerba intentius occuparent, in quibus maior fidei læsio, maius monstrabant esse periculum. Vnde quoniam opus ipsum diffusius est, nec uobis circa plurima Ecclesiæ negotia occupatis, longum forte legendi spatium datur, Breuiter capitula illa replico, & contra quos errores longa illa illius Epistolæ series agat, ostendo.

Argumentū Operis, contra Quinque errores.

1 Primum hæreticorum capitulū, negat paruulos infra intelligibilē ętatē constitutos, Christi Baptismate posse saluari, nec alienā fidē posse illis prodesse, qui sua uti nō possunt, quia iuxta eos, nō aliena fides, sed propria cū baptismate saluat, domino dicente, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur.

Meminit harū hæresum D. Bernhar. Ser. 66 in CāticaCan.

Mar. ulti.

2 Secundum capitulum dicit, Templorum uel Ecclesiarum fabricam fieri non debere, factas insuper subrui oportere, nec esse necessaria Christianis sacra loca ad orandum, quoniam æque in taberna & in Ecclesia, in foro & in templo, ante altare uel ante stabulum, inuocatus deus audit, & eos qui merentur, exaudit.

3 Tertiū capitulū, Cruces sacras confringi pręcipit et succendi, quia species illa uel instrumentū (quo Chrs tam dire tortus, tam crudeliter occisus est) non adoratione, nō ueneratione, uel aliqua supplicatione digna est, sed ad ultionem tormentorum & mortis eius omni dedecore dehonestanda, gladijs concidenda, ignibus succendenda est.

4 Quartum capitulum non solum ueritatem Corporis et Sanguinis domini, quotidie & continue per sacramentum in Ecclesia oblatum negat, sed omnino illud nihil esse, neque deo offerri debere decernit.

5. Quintum capitulum, sacrificia, orationes, eleemosynas, et reliqua bona pro defunctis fidelibus, a uiuis fidelibus facta, de-

cta,deridet: nec ea aliquem mortuorum uel in modico poſſe iuuare affirmat.

His quinq; capitulis (pro ut deus dedit, in illa ſanctitati ueſtræ a me miſſa Epiſtola reſpondi: & qualiter perfidorũ impietas,aut conuerteretur aut confunderetur,& etiam piorum credulitas firmaretur,utcunq; ſategi,

Petrus de Bruis combuſtus eſt, Cui ſucceſſit Henricus in erroribus.

Sed poſt rogum Petri de Bruis (quo apud ſanctum Aegidium, Zelus fidelium flammas dominicę crucis ab eo ſuccenſas,cum concremando ultus eſt,poſtq; plane impius ille de igne ad ignem,de tranſeunte ad æternum,tranſitum fecit) hæres nequitiæ eius Henricus,cum neſcio quibus alijs, doctrinam diabolicam non quidem emendauit, ſed immutauit: et ſi ut nuper in Tomo (qui ab ore eius exceptus dicebatur) ſcriptum uidi: non quinq; tantum,ſed plura capitula edidit.Contra quæ animus accenditur rurſus agere, & uerbis dæmonicis,diuinis ſermonibus obuiare.Sed quia eũ ita ſentire uel prædicare,nondum mihi plene fides facta eſt, differo reſponſionem,quouſq; & horum quæ dicuntur, indubiam habeam certitudinem.

Hæreſis calix eſt mortis.

Quod ſi forte inde per cautæ inquiſitionis ueſtrę ſapientiam certificari mererer,darem quam poſſem operam, ut mortis calix (quem miſerrimi hominum conſimilibus miſeris propinant) qui iam ex aliqua parte exhauſtus eſt, per innouatas reſponſiones omnino reſiduis fecibus exhaurietur.Interim,ſi placet,Epiſtolam ad utilitatem legentium editam,& per uos his quibus neceſſe fuerit, tradendam,ſicut tempus & locus ſe obtulerit,notam facere,ut ſicut dixi, aut aliquos hæreticorum contra quos ſcripta eſt, corrigere, aut catholicos pro quibus ſcripta eſt,in his & ſimilibus,cautiores reddere ualeat. Si cui uero eam tranſcribere placuerit, hanc etiam minorem Epiſtolam loco præfationis ante ponere

nere non omittat: quia in hac totius illius magni operis & causa & materia breuiter indicantur.

ARGVMENTVM EPIstolæ sequentis.

EPistola secunda ad dictos prouinciales Episcopos contra memoratos Petrobrusianos hæreticos, imprimis sacræ fidei commendatoria, deinde causarum scribendi explicatiua. Postmodum uero (quoniam neglectis doctoribus sanctis & scripturis: soli Euangelio credere præfati hæretici fama constanti uulgabantur) clare ostensiua, suscepto eodem euangelio, suscipi quoque debere, saltem reliquos diuinæ scripturæ libros, denique autem ex utriusque testamenti paginis auctoritatibus assumptis, simul cum rationibus ualidissimis: iam dictorum quinque pestiferorum dogmatum, nec non et illius quo dicunt, deo non esse cantandum, sigillatim expugnatiua & eneruatiua.

EPISTOLA SECVNDA.

PReclaris & in Christi corpore plurimum honorandis dei, Sacerdotibus, Guilhelmo Ebredunensi, Vldrico Diensi, Guillelmo Vuapnicensi: Frater Petrus humilis Cluniacensium Abbas salutem.

Quoniam inter omnes totius prounicia Septimaniæ, seu Alpium maritimarum Episcopos, religione, scientia, eruditione, ac pastorali solicitudine, diuina dispositio specialiter per uos pontificale cacumen exornat, insedit animo reuerentiam uestram & singulari præ cæteris semper affectu excolere, & motus animi mei uobis familiarius aperire. Moueri me nullo temporalium rerum commodo, nullo ad præsens incom- Boni Episcopi.

incommodo suspicemini, sed illā motus huius totam causam esse sciatis, quæ et uos sæpenumero mouit, & propter quam uestra pastoralis solicitudo non parum hactenus laborauit. Vnde gratias deo, qui laborem uestrum non omnino irritū fecit, sed sicut ipsa rerum experientia docet, inimicos fidei Christianæ, & idcirco hostes salutis humanæ, uestris sudoribus pene deleuit. Pene (inquam) deleuit, quoniā nuper per dioeceses uestras iter faciens, sicut ex plurima parte erroneū dogma cum suis autoribus, à prouincijs illis expulsum reperi, ita nonnullas eius reliquias, in multis, sed occultis nō tā defensoribus quam susurratoribus inueni. Inueni contritū colubri caput, uictrici rursum calcaneo insidiari, & nephandum guttur, in necem hominum reparata uenena frequentibus sibilis præsagari. Quod in talibus exercitatis animis uestris non est aliquatenus contemnendum, quia multo citius rebus pessimis, quā optimis incrementa succedunt. Longe facilius & feracius zizania diaboli, quam triticum dei, in eius agro sese dilatat. Nec quia semel deuictus creditur, uelut nil ultra ausurus hostis pertinax contemnatur, quoniam secundum Poetam, Victorem a uicto superari sæpe uidemus, & febrem diuturno medicorum labore ab ipsis medullis exclusam, acrius irrepsisse, et plerūq; animā extorsisse, parua lāguentis seu medētis incuria, sæpius experti sumus. Oportet quidem, (quod nō docens sed consulens dico) aduersus multiformes luporum insidias pastoralem oculum uigilare, & ne in aliquo grex dominicus lædatur, irrequieto studio satagere. Sed longe studiosius morsus ille ab ouili Christi est repellendus, multo uehemētius dens ille Beluinus pastorali baculo conterendus, qui oues eius nō quærit laniare sed iugulare, nō crus frangere sed strangulare. Hæc est illa nō qualicunq; læsura, sed ipsius totius salutis iactura, quā illi præ alijs

Reliquiæ hæreseos de lectæ, per incuriam neglectæ reuiuiscunt.

incurrunt,

incurrunt, qui ab itinere rectę fidei aberrantes per deuia errorum in barathrum profundæ perditionis ruunt.

Si res agitur de adulterio, si de furto, si de periurio, si de fraude, si de homicidio, si certe de quolibet alio crimine lis exorta fuerit (fide integra permanente) ad uitam aditus per cã patebit. Nam si secundum scripturam iustus ex fide uiuit, peccator ad uitam per fidem redibit. Nec obesse illi poterunt quantalibet suscepta uulnera, cui uita fidei, quæ per dilectionem operatur, fuerit reseruata. Inde uulneratus a latronibus curari potuit, quia nõ ex toto mortuus, sed post uulnera peccatorum, fidei uita uiuus remansit. Qui si & fidem cum operibus perdidisset, curationis spes ulterius nulla fuisset. Noui equidem quod & infidelis etiam post apostasiam sæpe fidẽ resumit, sed dum infidelis permanet, quo post pericula recurrat, non habet Hinc filij Edom Hierusalem persequentes, dicunt. Exinanite, exinanite, usq; ad fundamentum in ea. Exinanitur enim uas quodlibet liquore suo, sed non usq; ad fundamentum, quando peccator quilibet, & si malis superuenientibus, bonis prioribus diminuitur, usq; ad fundamentum tamen fidei non uacuatur. Quod si & illud exhauritur, uotis iam hostilibus adimpletis immundis spiritibus, deo prorsus Hierusalem uacuata, repletur.

Fide Catholica incolumi, reliqua facile resarciuntur.

Abac. ij. & Roma. 1. Lucæ. 10.

Psalmo 136.

Liberet in laude fidei diutius immorari ut et maxima eius utilitas et pessima ei detrahentium impietas clarius elucerct, ut quanto ea laudabilior, tanto ei contradicens Hæreticus damnabilior appareret. Sed quia scripturarum campi eius ubique floribus respersi sunt, reprimendus est stylus, ne si in superfluis moratus fuerit, ad necessaria tardius ueniat. Superfluam uero idcirco dixi de laude fidei disputationem, quia quod omnibus pene fidelibus notum est,

De laudibus fidei.

uelut

uelut de re ignota diutius tractare superfluũ est. Quis enim tam surdus ut non audierit? quis tam lethargicus ut non meminerit, Christum in Euangelio frequentibus fidem laudibus extollentem, & pene assidue, infirmis peccatoribus, ac singulis dicentem. Fides tua te saluum fecit, & discipulis. Si habueritis fidem, dicetis monti, transi & transiet, & iterum, Habete fidem. Dicitur & Petro. Modicæ fidei quare dubitasti? Et qui non credit, iam iudicatus est, &c. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum ipse faciet. Quis literatus non a puero audiuit Apostolum clamantem. Sine fide impossibile est placere deo? Et Psalmistam. Omnia opera eius in fide: Et Esaiam. Si non credideritis, non permanebitis. Quis tonitrua Apostoli ad Hebræos, obturata aure transire potuit? quibus fide testimonium consequutos fuisse senes: fide aptata esse secula uerbo dei: fide plurimam hostiam, Abel quam Chain obtulisse: fide Enoch translatum, ne uideret mortem: fide Noe responso accepto de his quæ adhuc non uidebantur, aptasse arcam in salutem domus suæ, fide Abraham obedisse, & Isaac obtulisse cum tentaretur, & uniuersos quicunq; fuerunt ab initio sæculi, usq; ad tempus gratię sanctos, per fidem deuicisse regna, operatos iustitiam, adeptos repromissiones, copiosissime narrat. Quosdam uero ex ipsis, fide obturasse ora Leonum, extinxisse impetum ignis, effugasse aciem gladij, conualuisse de infirmitate, fortes factos in bello: alios ludibria & uerbera, uincula et carceres expertos, lapidatos, sectos, tẽtatos, in occisione gladij mortuos: alios circuisse in melotis, in pellibus caprinis, egẽtes, angustiatos, afflictos, et reliqua: Post quę omnia ita laudem fidei concludit. Et hij (ait) omnes testimonio fidei probati non acceperũt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, ne sine nobis cõsuma-

Luc. viij.
Mat. xvij.
Marci xi.
Ioan. iij.
Ioan. xiiij.
Heb. xi.
Psal. xxxij.
Esa. vij.
Heb. xi.

ſumarentur. Et poſt quædam. Curramus, inquit, propoſitum iter aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum. Hæc breuiter, Venerandi patres & ſacerdotes domini, de ſacræ fidei laude atq; profectu, non tam explicaui quã commemoraui, ut ex paucis iſtis plurima doctis mentibus ueſtris occurrant: ut quantum malum, tanto bono neglecto, ſequatur, aduertant. Heb. 12.

Quod uos iam plus nimio expertos eſſe, nullum fere Occidui orbis angulum latet: quando ad iniuriam diuinitatis & contemptum ſacræ legis, nouo & apud Chriſticolas inaudito ſcelere, in partibus ueſtris populi Rebaptizati, Eccleſiæ prophanatæ, Altaria ſuffoſſa, Cruces ſuccenſæ, Die ipſo Paſſionis dominicæ publicæ carnes comeſtæ, ſacerdotes flagellati, Monachi incarcerati, & ad ducendas uxores terroribus ſunt ac tormentis compulſi. Et harum quidem peſtiũ capita, tam diuino auxilio, quam catholicorum principum adiutorio a ueſtris regionibus exturbaſtis: ſed ſuperſunt (ut iam dixi) membra, letifero adhuc (ſicut ipſe nuper ſenſi) ueneno infecta: ad quæ curanda, dei eſt miſericordia inuocanda, & ueſtra medicinalis diligentia adhibenda.

Scelera Hæreticorum illius temporis.

An non eadem noſtro ſæculo.

Quod fortaſſis fieri poterit, ſi poſt alia ſapientiæ ueſtræ conſilia, inquantum licuerit, autoritas religioſis, ratio curioſis non defuerit. His enim duobus omnis tam diuinarum q̃ humanarum rerum quæſtio ſoluitur, ut iam non homo, ſed beſtia dici poſſit, quiſquis autoritati uel rationi non cedit. Ea propter, quoniam ueritatis diſcipulis, Apoſtolica uoce præcipitur, ut parati ſint reddere rationem omni poſcenti de ea quæ in nobis eſt ſpe & fide, uiſum eſt mihi ratione, & maxime autoritate (cui præcipue fides innititur) hæreticis calumnijs reſpondere: ne ſi nemo reſponderit, iactent uel æſtiment erronei homines, non conſilio, ſed reſpondendi inopia, ca-

Omnis Queſtionis ſolutio unde petenda.

1. Pet. iij.

Quare Hæreticis reſpõdendum.

 pia, ca-

pia, catholicos siluisse. Et quidẽ doctis iam et eruditis in fide Christiana, nostris temporibus, magis contemptui habenda q̃ responsione digna, Hæresis nephanda uideretur, nisi et publica pericula, et animarũ damna, et ptinax erroris ipsius iam per uiginti annos perseuerantia, non dissimulandam, sed increpandam, conuincendam, ac detestandam admonerent.

No.

Incitat magis ad hec, et uelut adiectis dorso stimulis, acrius instigat fama nuper relata, quod scilicet anguis lubricus de regionibus uestris elapsus, imo uobis psequẽtibus expulsus, ad Narbonensem prouinciam sese contulerit, & quod apud uos in desertis, & uillulis cum timore sibilabat, nunc in magnis conuentibus, & populosis urbibus audacter prædicat. Putabam alpes gelidas, et perpetuis niuibus opertos scopulos, incolis uestris barbariem inuexisse, & dissimilem terris omnibus terram, dissimilem cæteris omnibus populũ creauisse, itaq; agrestibus & indoctis hominum moribus, peregrinum dogma facilius irrepsisse.

Hæresis in prouincia Narbonensi.

Sed hanc opinionem meam, ultima rapidi Rhodani littora, & circumiacens Tolosæ planicies, ipsaq; urbs uicinis populosior expurgat, quæ aduersus falsum dogma tanto cautior esse debuit, quanto assiduitate frequentium populorũ, et experientia multipliciũ doctrinarũ, doctior esse potuit. Suscepit. n. (quod non improperans, sed condolens, non bonis detrahens, sed malos a malis suis extrahere cupiens dico) suscepit, inquã, nobilis ex se, ignobilis ex errore ciuitas, contra Christũ Antichristi præambulos, & oblita diuini lactis, quo imbuta, quo enutrita, quo in robur uirile prouecta est, aquas furtiuas dulciores, & panẽ absconditũ suauiorem iudicauit. Non est recordata iuxta pphetã, dierũ adolescentiæ suę: nec tantorum testiũ Chri in se fusis cruoribus fidei Christianę testificantibus acquieuit: sed facta est quasi mulier fastidio au-

Reprehensio de admissa hæresi Tolosę.

Tolosa correcta & ab hac hæresi liberata postea fuit per S. Bernardũ Vt patet ex eius epistola ccxli.

Treno. 1.

gens præcium, quę super uirū suū inducit alienos. Et o oues Christi, hęccine de uobis meruit pastor uester, qui posuit animā suam ꝓ uobis? Hęccine de uobis meruit, q̄ relictis nonaginta nouē ouibus in deserto, uenit quærere & saluū facere quod perierat? Ista de uobis sanguine suo lucratus est, ut dimisso bono pastore, lupis rapaciter uos dissipantibus adhæreatis? Sed quid ego uos oues nomino? nisi forte, ut illos de quibus dicitur: Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos? Nam si uere simplicitas & obedientia ouium Christi in uobis perseuerasset, a lupis refugeretis ad pastorem cōfugeretis, impleretur in nobis uox ipsius pastoris, dicētis. Oues meæ uocē meā audient, & ego dominus agnosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum et non rapiet eas quisq̄ de manu mea. Qui et de lupis, uel mercenarijs, ait. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: neq; audiunt uocem alienorum.

Luc. 15.

Oues Christi.

Psal. xlviij.

Ioan. x.

Et, o miseri, quicunq; estis homines, qui omni ueritate & grauitate uacuati, uanitate & leuitate omnē paleam, et stipulam supergressi, circumferimini omni uento doctrinæ, et ad singula nouarum spiramenta aurarum, nil solidum, uel stabile habentes, ut sidera (secundum Iudam apostolum) errantia per errorū passim inania raptamini. Si mortis periculum, & ultima necessitas uos urgeret, si cruentus persecutor ignibus, gladijs, & tormentis (ut olim) excogitatis instaret: si ipse, cuius est aduentus in omni uirtute, signis & prodigijs mendacibus, qui aureis aggeribus sanctorum paupertatē, qui sæculi luxibus frugalitatē, q̄ tormētis constantiā, qui miraculis fidē, longe alijs ferocius ꝑsecuturus est, urgeret: q̄d uos? Quid uos, inq̄, quid uos tunc ad illa? qui ad leuis auræ spiritū, arundinea fragilitate mouemini, q̄n̄ tantos turbines, annosas etiam quercus, & elatas in cœlum abietes auellentes, immoti pateremini? Quando uos pro Christo uestro,

Exprobratio de leuitate Palearū,

Ephe. 4.

2. Thess. 2.

ſapientibus Græcis,potentibus Romanis, crudelibus Perſis,prodigioſis Antichriſti temporibus reſiſteretis : qui non multis gentibus,ſed duobus tantum homuntionibus, Petro de Bruis,et Henrico eius pſeudoapoſtolo tã facile ceſſiſtis? Quorum nulla uos ſapientia conuicit, nulla potentia ſubegit,nulla tormenta terruerunt,nulla uel magica tormẽta deceperunt.Sed facti eſtis uelut columba ſeducta non habens cor : & uelut bos ductus ad uictimam : qui iam iamq; immolandus,bruto pectore ad mortem, uelut adpaſcua pinguia currit.

Oſee vij.
Prou.vij.

Increpatio contra hæreticoꝝ.

Verum quia Zelus domus dei,& tam leuiter deſertus a Chriſtianis Chriſtus,me paululum digredi, & aliquantum extra metas currum agere coegit : ad propoſitum ſtylus recurret : & quod diu parturiuit,nunc tandem pariat. Vos igitur uos (quos ſupra nominaui) magiſtri errorum et cæci duces cæcorum,feces hæreſum, reliquiæ ſchiſmaticorum, uos ego,inq;,ſeductorum ſeductores conuenio,& ut de latibulis ueſtris ad publicum noſtrum prodeatis inuito. Non habet (ut uulgo dicitur) ueritas angulos, nec lumen ſub modio uult latere : nec ea quæ catholica dicitur, amat fieri ſingularis,quia quæ per totum mundum Chriſti præcepto d ffuſa eſt,mundi partibus contenta non eſt.Venite a maritimis Septimaniæ,ad uocem uos uocantis Eccleſiæ, & ſi quid (ut ipſi dicitis) pro ea uel (ut nos credimus) contra eam affertis,edicite.Agam et ego econtra,non ut alijs ſapiẽtior,ſed forte ut effrenatior,paratus pro modulo meo ueritati quæ innotuerit cedere,falſitati obuiare.

Eccleſiæ latitudo.

PRIMA PROPOSITIO NOuorum hæreticorum.

Mittens

Mittens (inquiunt) Christus discipulos suos ad prædicādum, ait in Euangelio. Ite in orbem uniuersum: Prædicate Euangeliū omni creaturę. Qui crediderit & Baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uero nō crediderit, condemnabit. Ex his dñi uerbis aperte monstrat nullū, nisi crediderit et Baptizatus fuerit, hoc est, nisi Christianā fidē habuerit, & Baptismum perceperit, posse saluari. Nam non alterum horum, sed utrunq; pariter saluat. Vnde infantes licet à uobis Baptizentur, quia tamen credere, obstante ætate, nō possunt, nequaquā saluantur. Ociosum igitur & uanum est quando eo tempore homines aqua perfunditis, quo carnem quidem eorū à sordibus humano pro more abluere, sed animā à peccatis minime mūdare potestis. Nos uero tempus congruum fidei expectamus, & hominem postquā deum suum agnoscere, & in eum credere paratus est, non, ut nobis imponitis, rebatpti zamus: sed Baptizamus: quia nunquā Baptizatus dicendus est, qui Baptismo, quo peccata lauantur, lotus non est.

Petrobrusianorum uerba. Mat. 16.

Sic Anabaptistę huius sæculi.

RESPONSIO CONTRA *id, quod dicunt hæretici paruulos non posse Baptizari.*

AT, ô docti homines, insipientibus & indoctis nūc tandem quod intelligere hactenus non potuerant exponentes, itane desipuere præterita sæcula, ut tôt millibus paruulorum per mille & eo amplius annos illusorium Baptisma tribuerent, & à Christi temporibus usq; ad uos, non ueros ei Christianos, sed Phantasticos crearent? Siccine cæcatus est orbis terrarum, tantaq; hucusq; caligine inuolutus, ut ad aperiendos oculos suos, & ad tam diuturnam noctem illustrandam

Ratio ducta ad inconueniens.

lustrandam, post tot Patres, Martyres, Pontifices, & uniuersarum Ecclesiarum principes, uos tandiu expectarit, & ad corrigendum longum errorem suum, Petrum de Bruis, & Henricum eius asseclam, uelut Apostolos nouissimos elegerit? Itane usque ad nouos sæculi reparatores mundus perijt, et apud filios Lucis & ueritatis omnia in tenebris & falsitate gesta sunt, ut cũ pene omnes nostræ ætatis uel memoriæ in infantia Baptizati sint, & Christianũ nomen assumpserint, ac cõgruo tẽpore in diuersis gradibus ecclesiæ prælati sint, nullus Episcoporũ Episcopus, nullus presbyter, nullus diaconus, nullus clericus, nullus monachus, nullus (ut sic loquar) ex tam innumerabili numero, saltem Christianus fuerit?

Quãta sequeretur absurditas, si reñceretur Infãtium baptismus.

Nam qui Christi Baptismate Baptizatus nõ fuit, Christianus non fuit. Si Christianus non fuit: nec de clero, nec de populo, nec de Ecclesia esse potuit, quod si ita est, quanta absurditas sequatur manifestũ est. Cum enim tota Gallia, Hispania, Germania, Italia, ac uniuersa Europa, a trecentis uel quingẽtis fere annis, nullũ nisi in infantia Baptizatũ habuerit, nullũ Christianum habuit. Si nullũ Christianũ habuit, nec Ecclesiam habuit. Si Ecclesiam non habuit, nec Christũ habuit. Si Christũ nõ habuit, certũ est quia perijt. Periere igitur patres nostri, quia in infantia nõ potuerũt Christi Batismate baptizari. Peribimus & nos qui uiuimus, qui residui sumus, nisi post Christi, etiã Henrici Baptismate baptizemur. Detrahentur de supernis cœlorũ, usque ad ima infernorũ, innumerabiles sancti, quos in infantia baptizatos, et uita sanctitate, & mundus testimonio, & diuinitas miraculis cõmendarat. Efficientur collegæ dæmonum, qui erãt socij Angelorum, & qui iam pro pijs laborib. æternã perceperũt uitam, in mortẽ subito ruent perpetuã. Dies festi nostri cõuertentur in luctũ, sabbata in opprobriũ, honores in nihilum.

Quis

Quis ista ferat? quis audiat? quis non aut aures obturet, aut in nouos hæresiarchas, cum toto quem damnare laborant mundo, insurgat?

Sed uenite, uenite inquam ad me, uos, cum quibus mihi sermo est: uenite & resipiscite a tanto prodigio, magisq; eligite ab Ecclesia dei discere uera, q per erroris spiritū docere falsa. Discite paruulis nostris nullatenus fidem, qua saluentur deesse: quia nō possunt dici filij infideles, pro quibus interuenit matris Ecclesiæ fides. Sed scio, quia hoc deridetis, et aliena fide alium posse saluari, cū multa, inter rusticos et imperitorum greges, subsannatione negatis.

Ad quam uestram brutam, & impiam hæresim refellendam, innumera mihi doctorū Ecclesiasticorum testimonia suffragantur: sed uestra autoritas & sapiētia tanta est, ut eos coram producere non præsumam: maxime cum didicerim, Hilarium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Leonem, Gregorium, & cæteros, iudicio maiestatis uestræ, esse damnatos, Cumq; latinos omnes, et a Cathedra doctorum, & a regno cœlorū excluseritis: nescio si Græcis uel alterius linguæ hominibus peperceritis. Quod si forte uel illi, sobrietate uestri examinis, peremptoriam sententiam euadere potuerunt, mihi quid? Quantū ad prēsens negotiū spectat, aut parum aut nihil prodest, cū homo tantū latinus, peregrinæ linguæ, quā ignoro, testimonijs, quib. uos aut cōuertere possim, aut conuincere, uti nō ualeam. Viderint catholici huius operis lectores, quid pro solo isto, quod nūc cōmemoraui, capitulo mercamini, qui ecclesiam dei armis suis spoliare, & inter hostes inermē constituere decreuistis: imo quantum ad uos, iā telis & gladijs hostilib. exposuistis. Sed qm̄ non inuehendi, sed disputandi ad præsens, contra uestros errores officium suscepi, reprimendus est sermo: & uobiscum autoritate pariter & ratione agendum. Vnde

Doctores Ecclesiastici, pro Infantium baptismo.

Vnde quia sanctis ecclesiæ doctoribus fidem præbere dedignamini, ad purissimum riuulorum omniũ fontem mihi est reuerẽdum, et de Euãgelicis, Apostolicis, seu propheticis dictis, testimonia (si tamẽ uel illa suscipitis) sunt proferẽda. Videndũ est utrũ hi qui tãtis orbis terrarũ magistris nõ cedũt: saltem Christo, Prophetis, uel Apostolis adquiescant. Hoc ideo dico, quoniam nec ipsi Christo, uel Prophetis, aut Apostolis, uos ex toto credere fama, uulgauit, ipsiq; maiestati ueteris, ac noui testamẽti, quæ iã ab antiquo totum orbem sibi subdidit, uos detrahere, (si tamen uerum est) indicauit. Sed quia fallaci rumorum monstro non facile assensum præbere debeo (maxime cum quidam uos totum diuinum Canonẽ abiecisse affirment, alij quædam ex ipso uos suscepisse contẽdant) culpare uos de incertis nolo: sed necessario totum Canonem qui ab ecclesia suscipitur, uos suscipere debere certis autoritatibus probo.

S. Scripturæ purissimus fons.

PROBATIO TOTIVS
noui Testamenti ex Euangelio.

SI enim (quod omnes affirmant) Euangelium etiam tamen suscipitis, necessario (ut dictum est,) & reliqua omnia suscipietis. Nec enim potestis Euangelio credere, & de his quæ idem euangelium suscipit, dubitare. Et quoniam totus Textus cœlestis oraculi, quo deus aut per se, aut per alios hominibus locutus est, in ueteri & nouo testamento consistit, ueniat primo ad medium nouum testamentum, non quia prius est, sed quia dignius est. Quod idcirco testamẽtũ dicitur, quia sicut Vetus uituli morte, & sanguine dedicatũ est, ita nouum morte & aspersione sanguinis Iesu Christi cõsecratum est. Eius principium sanctum est Euangelium, cui sicut

Por. tantum

Testamẽtũ.

sicut catholici, sic & uos, ut fama consonans probat, integram fidem, & debitam reuerentiam exhibetis. Ea propter eo tam apud uos, quam apud nos in sua diuina et stabili dignitate manente, ad Euangelicos & Apostolicos libros sermo transeat, eosq; ex ipso Euangelio, Euangelicos (ut dixi) & authenticos comprobet.

DE AVTORITATE LIbri Actuum Apostolorum.

HOrum primus liber actuum Apostolorum est: quem uere totum Euangelicum, & post euangelium præcipuæ autoritatis esse, cum multa undiq; consonent, hinc in primis & maxime ostenditur, quod non alium quemlibet, sed ipsum Euangelistam scriptorem habuisse probatur. Nam ille, cæteris studiosior humanitatis Christi relator, Lucas eum conscripsit. Fatetur hoc ipse in ipsius libri exordio, cū scribens Theophilo, ad quē & euangeliū ante scripserat: ait. Primum quidem sermonem feci de omnibus o Theophile, quę cepit Iesus facere et docere, usq; in eum diem, qua præcipiens Apostolis, per Spiritum san. quos elegit, assumptus est: Cuius primi sermonis hoc est, Euangelij exordiū, tale est. Quoniamquidem multi conati sunt ordinare narrationem rerū, quę in nobis complete sunt, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt sermonis, uisum est mihi assecuto a principio omnia diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum uerborum de quibus eruditus es, ueritatem. Hoc, ut dixi, primi sermonis eius exordium est. Finis uero talis, qualem eum in secundo sermone se dixit fecisse. Vsq; in diem, (inqt) qua præcipiens Apostolis p spiritum sanctum quos elegit, assumptus est. Eduxit, inquit, eos foras in Bethaniam, & ele- Lu. 24

Liber actuū Apostolorū Autenticus est.

natis manibus suis benedixit eis. Et factum, dum benedice-
ret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum, & ipsi adoran-
tes reuersi sunt in Hyerusalem cum gaudio magno: & e-
rant semper in Templo laudantes & benedicentes deū. Ec-
ce & stylus idem utriusq; libri quo scribit, & persona eadem
cui utrunq; librum scribit: et eadem materia de qua utrunq;
scribit, luce clarius demonstrant, qualiter eadem sit persona
quæ utrunq; conscribit. Eandem uero dixi materiam: quo-
niam sicut Christum in cœlum assumptum in fine Euange
lij sui narrat: sic de eadem Assumptione, quæ omiserat in
Euangelio, in hoc suo secundo & ultimo sermone perfe-
ctissime supplet. Nam paululum retro rediens, & a Christi
resurrectione incipiens, & quæ dixerat, iterat: & quæ non
dixerat, addit.

Fides Actibus Apostolorum omnino habenda est.

Sed mirari non sufficio, unde dubietas hæc quibuslibet
Christianis animis, & saltem mediocriter doctis innasci
potuit; cum liber iste sicut omnibus eum legentibus pa-
tet, licet non nominetur Euangelium, eius tamen omnia E-
uangelica sint. Nam post expositos in Euangelio actus, &
uerba Iesu Christi, & eius multa in Euangelio promissa hic
completa esse ostendit, & inde ad narrandos actus & sermo
nes Apostolicos transit. Quod si aliquis tam stultus aut in-
fidelis, uel pertinax est: ut uerbis eius non dico qualem-
cunque, sed integram & robustam fidem adhibere detre-
ctet, ostendat (ut primo de prima ipsius libri serie loquar)
ubi uel quando aduentus spiritus sancti super apostolos pro
missus a Christo impletus sit: ubi eum in igne descendisse,
ubi uniuersarum linguarum eis gratiam contulisse, ubi tam
solennem, non solum a tota totius mundi Ecclesia, sed & ab
ipsis Apostolis celebratam diem Pentecosten celebrari de-
bere legerit; cum nisi libro huic autoritas tribuatur, non di-
co iudai-

co iudaica ueteris legis, sed Christiana nouæ legis Pentecostes perierit. Et ubi erunt uerba ueritatis, tam frequenter prædicentis discipulis & promittentis. Cum uenerit Paraclitus quem ego mittam uobis a patre, spiritum ueritatis, qui a patre pcedit, ille testimoniũ perhibebit de me? Vbi est quod in eodẽ Euangelio de eodẽ spiritu dicit. Paraclitus autẽ spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille uos docebit omnia? Vbi est quod eos consolans ait. Si non abiero, Paraclitus non ueniet ad uos: si autem abiero, mittam eum ad eos? Vbi est quod item ait. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit uobis, ut maneat uobiscum inæternum, spiritum ueritatis? Vbi quod per alium Euangelistam eosdem discipulos admonet? Vos autem sedetẽ in Ciuitate quoadusq; induamini uirtute ex alto. Ioan. xv. Ioan. xiiij. Ioan. xvi. Ioan. xiiij. Lucæ ult.

Si, inquam, sicut dixi, liber iste abijcitur, & hæc uniuersa promissa Christi irrita uidebuntur, oportebit ergo aut ueritatem fallacem fateri (quod uel cogitare, nedum dicere nephas est) aut ubi uel quando, tanta, tam solennis, tamq; frequenter repetita promissio impleta sit, demonstrare. Necesse erit & illud probare, qualiter Apostoli & cæteri discipuli Christi præceptum eius illud ultimum, & generale implere ualuerunt: quo eis iussum est. Ite in orbem uniuersum, prædicate Euangelium omni Creaturæ. Necesse erit, inquam, probare, qualiter simplices, idiotæ absque literis, & unius * tamen, hoc est hebraicæ linguæ homines, & in ipsa pene elingues, tam multis, tam diuersis, tam Barbaris uniuersi orbis linguis, iniunctum a Christo regni æterni Euangelium prædicare potuerint. Quibus signis sensa sua alienis sensibus communicare ualuerint, si linguarum gratia eis a Spiritu sancto collata

Quam absurdum est negare, aut reijcere librũ Actuum Apostolorum

* tantum.

cto collata negatur: si nobile illud noui testamenti miraculum contemnitur, si libro, ubi hæc scripta leguntur non creditur? Negatur plane hęc collata Apostolis gratia, quando scripturæ, quæ sola illud continet, renuntiatur. Nam qui libro illi absque exceptione se non credere dicit, & cunctis quæ liber continet, contradicit.

Conuersio gentium per donum linguarum.

Quod cum ita sit, dicant negatores scripturarum, utrum silentio mundus ad fidem conuersus sit? Nam quibus gentium linguas auferunt, eis utique ne gentibus prædicent, silentium imponunt. Frustra igitur Christus, ad prædicandum Euangelium diuersis linguis et populis, discipulos misit: si eos (ut prædictum est) elingues transmisit. Et quid est quod ait Psalm. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ uerba eorum? Quid est quod ipse Christus ait. Quod dico uobis in tenebris, dicite in lumine? Quid est quod alibi idem ait, Oportet Euangelium prædicare in toto mundo: & sic ueniet consummatio?

Psal. xviij. Matth. x. Math. xxiiij.

Pentecoste Christianorum.

Aut igitur negate Pentecosten Christianorum: negate spiritum sanctum ea die Apostolis infusum, negate linguarum gratiam ab eodem spiritu, eadem die ipsis collatam, aut si hoc refugitis, scripturam ista referentem suscipite, & Ecclesiæ de, a qua hactenus desciuistis, amodo concordate. Et licet hæc quæ dicta sunt ad uos conuertendos, aut contemnendos sufficiant: redeat tamen parum stylus retrorsum, & de eodem libro Mathiam, locum proditoris Apostolica electione complesse, & duodenarium numerum a Christo institutum, implesse demonstret. Quod ubi alibi factum esse legatur, ubi duodecimus iste Apostolus, sorte diuina, undecim Apostolis annumeratus, præter hunc librum inueniatur, si potestis, dicite: si non potestis, quod credimus, credite. Nullatenus enim

Electio Mathiæ Apostoli.

autoritas uel ratio patitur, ut Apostolicus a Christo electꝰ (ut dixi) numerus, mutilatus uel imminutus permanserit: maxime cum ipse Apostolis dixerit. Sedebitis super sedes xij. Qui cum super duodecimam sedem sacrilegum Iudam sessurum non esse præuideret, utiq; non ei successurum, nisi Matthiam prædicebat: eiq; Apostolicum solium præparabat. Math.xix.

Quod si forte opponitis thronum illum duodecimum, ad quem electus proditor Iudas fuerat, Paulo Apostolo collatum, ne tantus Apostolus Apostolico throno carere uideatur, respōdete. Paulo in duodecima sede collocato (cum nō nisi duodecim sedes a Christo promissę uideantur) quis Barnabæ, Timotheo, Silæ, multisq; alijs prioris Ecclesiæ Apostolis sedes fabricare poterit: Non est in tantum artificij sui, omnipotens artifex oblitus: ut præter illas duodecim sedes, mille etiam (si necesse fuerit) non ualeat præparare. Nam neq; soli illi, qui dicuntur Apostoli cum Christo mundum iudicaturi sunt: dum quicunq; mundum uere contempserit, ad mundum quem contempsit, cum Christo & Apostolis iudicandum ueniat. Vnde colligitur, et indubia ratione probatur, Mathia (de quo agitur) Apostolo promissæ duodecimæ sedi imposito, non inferiorem maximo Apostolorum Paulo præparatam, super quam in Christi iuditio sedeat, & nullo inferior mundū cum Christo iudicet. Necesse enim, ut si plusquam duodecim Iudices ad iudicandum uenturi sunt, etiam plusquam duodecim sedes multiplicatis Iudicibus præparandæ sunt. Oportebit ergo uos, aut Matthiam Apostolum negare, aut librum in quo solo Apostolatum meruisse legitur, suscipere. Plures quā xij. Throni Apostolorū

Veniat & primus noui testamenti martyr Stephanus, quem in summa post Apostolos autoritatis arce, ut præci- De S. Stephano Act. 6. & 7.

puum testem Christi, ab ipso tempore Christi, eius Ecclesia constituit: cuius uitã, doctrinã, exempla, miracula, passionẽ, cũ nulla præter hanc scripturã historia referat, aut negate illum saltem fuisse, aut scripturam hanc, ut diuinam, suscipite. Sed quo ausu negabitis, cum uideatis nomen, famãq; martyris terra mariq; diffusam: nullumq; in toto orbe angulum, nec inter ipsos infideles remansisse, ubi nõ nomẽ protomartyris Stephani resonet, aut cũ ueneratione apud Christicolas, aut cũ admiratione apud Ethnicos? Hoc Græcus, hoc latinus, hoc Barbarus, hoc oriens, hoc occidens confitetur. Occidens dico, cuius ex maxima parte, principales Ecclesiæ huius martyris nomine, & moderno, & ab ipso pene Apostolorum tempore: immo (ut fertur) ab ipsis Apostolis consecratæ, satis superq; indicant, non contemnendam, non falsam, non apocriphã esse illam scripturam: cuius relatione sola, tantam dignitatis eminentiam apud uniuersos Martyr ipse obtinuit. Quæ si negatur, honor, fama, simulq; nomen tanti tamq; famosi martyris annullatur. Necesse est igitur (ut præfatus sum) aut toti mundo martyrem suscipienti cõtradicere, aut scripturam, per quam solam nomen meritumq; martyris eidem mundo innotuit, suscipere.

Paulus, post Petrũ, Apostolorũ maximus.

Post hos, ad roborãdam magis magisq; libri Euangelici dignitatem, ueniat Apostolorum nouissimus, sed omnium post Petrum Apostolorum maximus Paulus, & magis ostentui habendos, q̃ saltem audiendos, tam diuinæ historiæ contradictores ostendat: Cuius nomen famaq; cœlum pariter ac terram impleuerit: cum eius maxime laboribus & doctrina, magnum illud ac toti orbi dominãs Romanum imperium Christo subiectum sit: cum uniuersum mundum eius excellentior, clarior, ac sublimior prædicationis tuba, ad ipsum, a quo auersus fuerat, mundi dominum conuerterit,

rit,cum eius nomen , non magis apud homines famosum, quam apud dæmones formidolosum sit,teste illo qui Exorcistis dicebat.Iesum noui,& Paulum scio:uos autem qui estis?

Dicite uos dicite,inquã, huius(quod sæpe nominaui)uoluminis negatores,unde hunc tantum,tamq; sublimẽ Apostolum habetis , qui librum , a quo pene solo eius notitiam mundus habet,negatis? Vbi enim uel in quo alio libro textum eius conuersionis, persecutionis,prædicationis legistis, uel legere potestis:ubi eum cœcatum,illuminatum , Baptizatum,totius mundi Apostolum constitutum , Regibus, Regionibus,Iudeis legatum directum,dicente Domino ad Ananiam. Vas electionis iste est mihi,ut portet nomen meum coram Regibus & gentibus,& filijs Israhel? Vbi plane ista omnia, præter hũc librum , legistis,audistis , inuenistis? Vbi eius uincula , flagella , naufragia,discursus,discrimina, pericula,fructus maximos periculorum , gentes innumeras ad Christum per ipsum conuersas: nisi aut in hoc libro repperistis,aut de ipso ab alijs audistis? Act.xix. Conuersio & historia Pauli ex lib. Act. Actu.ix.

Sed quid de illa illius cum Iudæis & gentib. apud Hierosolymã(quantũ ad hunc librum spectat) ultima pugna:ubi in ipso templo comprahensus,uerberatus,alligatus, cum ipsis uinculis ad urbẽ caput orbis , cuius Apostolus erat,a tribuno ad præsidem,a præside ad Cæsarem missus est? Nam æquum erat,ut maxime urbi maximus Apostolus mitteretur:cuius miraculis & doctrina ex non minima parte in ipsa urbe Roma Romanis conuersis , prædicatione expleta, passione impleta,ab ipsa urbe uelut in orbis uertice eius corpus perpetuo seruaretur , & heretica perfidia Apostolum, uel Apostolo non credentium tam insigni testimonio, conuin- Actu.24. Actu.25.

conuinceretur. Ecce uniuersa hæc cogunt, ac uiolenter compellunt, quamlibet obstinatam perfidiam uestram, aut contra tanta diuina et humana testimonia tantum Apostolum abijcere, aut eum Apostolum, & eius historiam ueracem cōfiteri.

Multæ aliæ ex Act. Apost. historiæ.

Nec illud omnino transeunuum, uel negligenter prætereundum est, quod Petrus, Iacobus, Ioannes, ac cæteri Apostoli, persecutiones in Euangelio a Christo permissas, hic singulariter experti esse legātur: dum dicit de eis illa scriptura.

Actuum. 5.

Ibant gaudentes a conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Hic etiam (quod nusquam alibi legitur) circumcisioni seruandæ, sabbato colendo, sacrificijs & obseruantijs ueteribus, spiritus sancti autoritate finem imposuerunt. Visum est (inquiunt) spiritui sancto & nobis, nihil ultra uobis oneris imponere, quā hæc necessaria, ut abstineatis ab immolatis simulachrorum, & a sanguine, & suffocato, et fornicatione: a quibus custodientes uos, bene agetis. Ecce non solum Gentiles, sed & ipsos ad fidem Christianam conuersos Iudæos, a carnali obseruātia legalium præceptorum exonerant: & qua autoritate Iudæos, si ad Christum conuersi fuerint, Ecclesia non circumcidat, ostendunt. Cum ergo autoritas hæc, nusquam nisi hic præter Apostoli epistolas (quibus forte non creditis) inueniatur: necesse iam uobis erit, aut Iudæos conuersos circumcisioni, & cæteris legis decretis subdere: aut Libro, cuius lectio hoc perhibet, canonicam autoritatem annuere. His uniuersis autoritatibus, uel rationibus ostendimus, imo cōpellimus, sæpefato Actuum Apostolorum libro, uos dignitatem autenticam amodo exhibere: neq; ultra Ecclesiæ dei, de eo non suscipiendo, uel in modico contraire.

Actuum. 15.

De Au-

DE AVTORITATE EPIſtolarum S. Pauli Apoſtoli.

HInc ad eiuſdem Apoſtoli Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ Apoſtolorum epiſtolas, uel libros, in quibus ſcriptura noui teſtamenti finitur, ſermo tranſitum faciat: Et eas Euangelicę, ac canonicæ dignitatis, congruis autoritatibus uel rationibus probet. Et quia Pauli epiſtolę non ſolum maioris uoluminis, ſed & ſublimioris doctrinæ ſunt, licet non ſic ordinentur in Canone, in hac tamen noſtra diſputatione, eas cæteris anteponat. Quod ex præcedenti libro primum probetur, ut quia ipſe iam Canonicus factus eſt, eas canonicas faciat, & non inferiorem, ſed eandem prorſus, quam obtinuit autoritatem, eis conferat. Epiſtolæ Pauli & aliorum Apoſtolorum.

Sed hoc fortaſſe clarius oſtenditur, ſi huius, & illarũ uerba non diſſimilia, ſibiq; inuicem atteſtantia proferãtur. Nam quod in illo ſuo libro Lucas de Paulo refert, hoc Paulus in Epiſtolis ſuis, diuerſis Eccleſijs, & populis ſcribens confirmat. Scribit Lucas (ut ſupra dixi) Pauli perſecutiones, conuerſionem, prædicationem, miracula, paſſiones. Fatetur eadem de ſe & Paulus, & pene quicquid de eo Euangelici hominis uolumen replicat, idem totum Apoſtolica ſcriptura narrat. Et ut aliqua ad reliquarum rerum euidentiam teſtimonia proferantur, quod Lucas de perſecutione ab eo facta ait. Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos domini, & reliqua: hoc Paulus: Qui prius, inquit, fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus. Et item. Nõ ſum dignus uocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam dei. Quod Lucas de eius cõuerſione, Domine quid me uis facere? & Dominus ad eum. Surge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere: hoc Paulus: Concordantia inter Actus Apoſt. & epiſtolas Pauli. Actu. ix. 1. Tim. 1. 1. Corin. xv

D Cum

Cum autē complacuit ei, qui me segregauit ex utero matris meæ, & uocauit per gratiā suā, ut reuelaret in me filium suū in gentibus, & reliqua. Quod Lucas de eius prædicatione.
Act.ix. Ingressus Paulus in synagogas prædicabat Iesum. Et item. Loquebatur quoq; gentibus, & disputabat cum Græcis, & mille talia: hoc Paulus. A Ierusalē usq; in Illyricū, repleui omnia Euāgelio Christi. Quod Lucas de eius miraculis. Tacuit
Act.xv. autē omnis multitudo, & audiebant Barnabā, et Paulū nar
Rom.xv. rantes, quanta fecisset Deus signa, et prodigia in gentibus p eos: hoc Paulus. Non enim audeo (inquit) aliquid loqui eorum, quę per me non efficit Chr̄s, in obedientiā gentiū, uerbo & factis in uirtute signorū, & prodigiorū, in uirtute spi
2. Cor.xij. ritus sancti. Itē in alia ep̄la. Tametsi nihil sum, signa tamen Apostalatus mei facta sunt super uos, in omni patientia, signis, et p̄digijs, et uirtutibus. Quod lucas de eius laboribus, carceribus, lapidationibus, plagis, naufragijs, uinculis, insi
2.Corin.xi. dijs, et multimodis mortiū generibus: hoc Paulus. Plus ego in laboribus plurimis, in carceribus abundātius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: & reliqua, quæ series Epistolæ enumerat. Quæ & ipse enumerarem: nisi frequenti Ecclesiæ lectione, pene omnibus nota crederem. Hæc pauca de multis. Cum ergo tanta euidentia Euangelistæ, & Apostoli uerba conueniant, ut quod ille historico, hoc iste epistolari stylo gestum referat, & uterq; tam concors sibi inuicem ueritatis testimonium perhibeat: quid ultra queritis? Nonne sufficientem autoritatem, Euangelicus liber, Apostolicis literis conferre uidetur.

D. Paul. Epistolę quātæ sint autoritatis.

Sed quid de singulari fama, et celebri earundem epistolarum autoritate dicetur? Nonne sua cælesti, & quæ super hominē, est doctrina, ad eum uerticem dignitatis illa epistolarum scriptura prouecta est, ut post Euangelium, cæteris ue

teribus

teribus ac nouis scripturis clarius per totum mundum reso-
net, firmius credat, solennius recitetur, deuotius audiatur?
Nonne apud ipsos præcessores uestros (antiquos dico Hæ-
reticos) tanti habita est, ut ex tam multiplicibus præteritorũ
seculorum hæresibus, nulla unq̃ hæresis hanc temerare ausa
fuerit? Hoc non Appelles, non Cherinthus, non Montanus
antiquiores, hoc non Arrius, non Nouatus, nõ Sabellius re
centiores, hæretici, nec ipse cæteris detestabilior Manichęus,
qui cum inanissimis fabulis intentus, in cogitationibus suis
euanuisset, et cum toto ueteri testamento ipsum ex maxima
parte Euangelium abiecisset, Apostolo tamen Paulo, &
scriptis eius se credere non negabat, eiusque epistolas cum
honore suscipiebat.

Sed quid de Hæreticis loquor? Nonne et ipsos Paganos,
imo & eos qui inter illos magis studere sapientiæ uidebant,
Philosophos, hæc Apostolicarum epistolarum (ut legitur)
lectio percellebat? Nonne ipsi Paulo famosus ille Philoso-
phus Seneca dixit, nullas se credere suffecturas ætates, ad Li-
terarum illarum altitudinem capiendã? Nonne & illa cru-
delis bestia Nero, his eodem Philosopho recitante, auditis,
mirari se dixit, unde homini (ut dicebat) indocto, tanta
scientia inesse potuit?

Senecæ testimonium de Epistolis D. Pauli.

Hoc certe, hoc solũ uestra mendacia ueritati subijcit, hoc
uires omnes hæretici corporis eneruat, ut in quo tota totius
mundi Ecclesia, & ipsorum etiam qui extra Ecclesiam sunt,
parſ consentit, ab illo paucorum & pene nullorum homi-
num temeritas aliqua dissentire non audeat.

Si autem qđ tantis autoritatibus munitũ est, etiã ratione
roborari q̃ritis, audite. Euangeliũ (ut supra dixi) uos suscipe,
fama consonans est, alias Canonis diuini scripturas, uos aut
re nuere, aut dubias dicere certũ est. Sed ĩterrogo uos, Epl'as

Confutatio hæreticorũ ex ratione.

Apostoli Pauli & aliorum Apostolorum (ut interim de aliis diuinis libris taceam) cur non suscipitis? Respondetis: Quia non adeo certa nobis earum est autoritas, ut fidem eis dare uelimus. Et non uidetur uobis certa earũ authoritas cũ Apostolicæ dicantur, & ab eis scriptæ credantur? Et hic dicitis. Si constaret certa autoritate, uel ratione eas Apostolicas esse, nobis suscipere esset necesse. Sed si dicunť uel creduntur esse Apostolicæ, & non sunt: a nobis suscipiendæ non sunt. Quod si a talibus dicunť, & creduntť, esse apostolicæ q̃bus sicut ipsis Apostolis credi debeat: qd? Quid inq̃? None a uobis, hoc probato, suscipiendæ erunt? Suscipiendæ plane.

DE AVTORITATE Ecclesiæ.

Ecclesiæ autoritas quantæ sit efficaciæ.

SEd ubi inuenieť, cui sicut ipsis Apl̃is credere debeamus? Inuenietur plane. Et ne uos suspendã: Ecclesia dico: cui sicut ipsis Apl̃is, uos prorsus credere debere affirmo. Item, fortasse dicitis. Et quæ est illa, quã dicis, Ecclesia? Quid uos, inq̃, ignorare hoc nomen dicitis, cũ id uobis olim nimium nimiumq̃ notum fuerit, cum eius corporalem fabricam destrueretis? Tunc enim uos dicebatis idcirco Ecclesiarũ ędificia destruere, q̃ nomen Ecclesiæ non structuram parietũ, sed congregationem fidelium signaret. Quod si obliti estis, aut scire uos dissimulatis, breuiter exponam.

Ecclesiæ descriptio.

Dicitur Ecclesia (ut ipsi dixistis) congregatio, sed non auiũ, non pecorũ, sed hoĩm, Nec oĩm hoĩm, sed fideliũ, bonorũ, iustorũ. Quod si aliq̃ inter bonos illos mali, inť iustos iniusti, aut latent, aut patent, non idcirco minus Ecl̃ia dicitur. Hæc est illa q̃ innumerabili multitudine, p totũ orbẽ Christi dñi sui p̃cepto diffusa, usq̃ ad nos peruenit: nec minus quam olim, totum mundum (ut cernitis) replet. Huic (sicut dixi)

uere

uere ut ipsis Apostolis, credere debetis: cui Christus ipse (quantum ad hoc spectat) non minorem contulit autoritatem. Nec dico, ut Apostolico labore satam & auctam Ecclesiam, Apostolis æquem: sed dico, quod eius testimonijs, sicut Apostolicis absque ulla contradictione adquiescendum est.

Quod si & hinc Euangelicam autoritatem uultis: audite Christum dicentem. Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Sed usque ad consummationem sæculi, Apostoli in sæculo non manserunt: De Ecclesia ergo intelligendum est, quæ usque ad consummationem sæculi in sæculo futura est. Item. Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit uobis: ut maneat uobiscum in æternum, non utique cum solis apostolis, sed cum ecclesia uentura, cui rogatu filij dei, a deo patre datus est spiritus dei: ut maneat cum ea in æternum in hac uita consolando, in futura glorificando. Sed ne forte dicatis, hanc meam expositionem, non Christi intellectum esse: audite eum in alio Euangelista. Non pro his (inquit) rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, & mundus credat, quia tu me misisti. Et ego, claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Videtis dei filiū, non pro Apostolis tantū modo patrem rogare: sed & pro eis qui adhuc, quando hæc loquebatur, credituri erāt per uerbum Apostolorum in eū: Et qui sunt illi? Nonne hæc de qua loquimur, Ecclesia? Qui enim alij in Christū credunt & credituri sunt, nisi hæc quæ uocatur Ecclesia, hoc est in Christum credentium congregatio?

Christus & spiritus s. cū Ecclesia sunt semper. Mat. ult. Ioan. xiiij. Ioan. xvij.

Quos omnes non propter uaria tempora diuidit, nō propter diuersa loca seperat; sed omnes præcedentes scilicet & sequen-

Ecclesia una etiam per uaria tempora & loca.

sequentes, unum esse uult: nec aliter, sed tam solenniter sicut pater in ipso, & ipse in patre est. Quos nō paucos, sed innumerabiles esse ostendit, quando subdit. Vt mundus credat, quia tu me misisti.

Cur Ecclesię credēdū est.

Non debet ergo credi testimonijs Ecclesie, cui indiuisibiliter Christus cohabitat usq; ad consummationē sæculi? Nō debet credi testimonijs Ecclesiæ, cū qua spiritus sanctus inseparabiliter permanet: non hic tantū, sed inæternū? Non debet credi testimonijs Ecclesiæ, quæ unum cum patre & filio est sicut pater in filio, et filius in patre, cui eam claritatē filius dei dedit, quam accepit a patre? Non debet credi testimonijs Ecclesiæ de qua (hoc est de electis & prædestinatis dicitur) Pater quos dedisti mihi, uolo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut uideant claritatē meā quā dedisti mihi, quia dilexisti me a constitutione mundi? Quō ergo potuit (nō dico tāto, sed saltē paruo tēpore) quō, inquā, potuit tantū errorē, tanto tēpore sequi? quō potuit plusq; per mille ānos & falli & fallere Ecclesia, cū qua uerax pater, cū qua ueritas filius, cū qua ueritatis Spiritus perpetuo mansit? Sed cū hoc oīno impossibile sit, colligitur q eius Traditionib. omnib. sicut Aplicis, omnimoda ab omnib. fidelib. fides exhiberi debeat. Si enī doctrina uel traditio Ecclesiæ ab Aplis suscepta est, si eadē a Christo in Aplos deriuata est, cōstat quia uerax & a ueritatis filijs suscipienda est. Sed quod hanc Apli a Christo susceperint, nulli dubiū est. Quod aūt Ecclesia ab Aplis, autoritate pariter & ratione probatū est. Sequitur ergo, quia doctrina uel traditio Ecclesiæ ab omnibus suscipienda est.

Ecclesia docet quib. scripturis credēdum sit.

Debetis igitur credere testimonijs Ecclesie, si nō uultis pmanere hostes Christi & Ecclesiæ. Hæc aūt Eclia attestat, Epistolas (de quib. agitur) Aplicas esse: idq; sibi a præcedētibus Patrib. et ipsis uiris Aplis traditū, se fixe & immobiliter retinere.

retinere. ' Sed respondetis. Testimonijs quidem euan- gelicis resistere nō possumus: sed hoc nos dubios reddit, q̄d nullū, nec in tota (de qua sermo est) Ecclesia, more testiū testimonium afferentiū, inuenire ualemus. Testibus enim, nō testimonijs credendū esse, lex ipsa sæculi iubet. Testiū uero officiū est, audita uel uisa, non ab alijs sibi narrata testificari. Testimoniorū aūt mos est, ab alijs sibi narrata referre. Ecclesia uero cui inniteris, & ad cuius dignitatis eminentiā comprobandā, tot & tāta testimonia affers, nō uice testiū, sed testimoniorū utit̄, quia nō uisa uel audita, sed ab alijs sibi tradita narrat, & libris de quibus agitur, non quod sciat, sed quia credit, Canonicam autoritatem dat. Ecce, ecce, nunc tandē foueā uobis fodistis, in quā statim præcipitandi estis: Vincula fabricastis, quibus alligandi estis: Laqueū tetendistis, quo primi capiēdi estis. Si enim hoc uerū est quod attulistis, nō tantum Libros quos nos defendimus, sed & ipsum Euangeliū q̄d suscipitis, perdidistis. Nā si nō nisi uisis & auditis assentiendū est, nō solū Libris alijs, sed nec ipsi Euāgelio credendū est. Dicite enim uos primi, & pro Euāgelio q̄d tantū super est uobis, agite: utrū aliqua q̄ in Euāgelio legitis, aut de Euangelio creditis, oculis uideritis, aurib. audieritis? Vt enim innumeris omissis, hæc breuiter obijciā, in quibus tota euāgelij sum̄a cōsistit. Audistis uel uidistis Archāgelū Gabrielē, filij dei conceptū, Spūs sancti aduētū, Matri uirgini nuntiantē? Vidistis uel audistis Christū natū, pastores inuisentes, Magos adorātes? Vidistis & audistis Christū Baptizatū, prędicantē, solēnia illa miracula facientē, eandē prędicationē discipulis iniungentē, eandē mirādorū operū potētiā eisdē cōferentē? Et quid multa? Vidistis uł audistis passū, crucifixū, mortuū, sepultū, resurgentē, ascendentē? Vidistis uel audistis quod nondum factū est, sed futurum est

(et

Obiectio

Solutio.

Non solum uisis, & auditis assentiendum est.

Por. scri-
ptura sit, deest

(& licet ꝫ in Euangelio cui creditis: nescio tamen si credi-
tis) omnes mundi mortuos resurgentes, Christum iudi-
cantem, infernum hiantem, cœlum reseratum, impios in combustionem æternam, pios in uitam æternam intrantes? Et ubi est, quod tenebatis? Euangelium habebatis: sed eo iam perdito, Christum amisistis. Nam si Euangelium non habetis, nec Christum habetis. Si Christum non habetis, Christiani non estis. Ecce fouea, ecce uincula, ecce laqueus: quæ uos ad uestram perniciem iam præparasse dixeram.

Qui non credunt Ecclesiæ, nec Euãgelio credunt.

Hoc modo, Euangelio cum Christo sublato, etiã omnes Prophetæ, omnes Apostoli de medio facti sunt, eorũq; uniuersa opera, uniuersa scriptura, cum ipsis pariter deleta sunt. Necesse igitur iã uobis erit, aut libris quos proponimus, abiectis, Euangelium (ut dixi) Christum, Christianam fidem, spem salutis & uitæ æternæ abijcere: aut libris nostris susceptis, Euangelium, & Christum, atq; enumerata omnia conseruare. Cum enim nõ ex uisis, neq; auditis, sed ex Ecclesiæ, & Patrum traditione, hæc uniuersa mundus credat, speret, diligat: nec uos ex uisis uel auditis, sed ex eiusdem Ecclesiæ & eorundem Patrũ traditione, Euangelium teneatis, quod nullo modo negare potestis: inuicta ratiõe cogẽte, aut quod simul, absq; aliqua exceptione, ab eadem Ecclesia nobis pariter & uobis traditum est, suscipietis, & Euangelium cum Epistolis Apostolorũ, & libris omnibus (quos negabatis) retinebitis, aut nostris Libris abiectis, Euangelium pariter, quod solum uobis remanserat, amittetis. Quo amisso, non iam nobis ut Christiani hæretici, sed sicut Ethnici & Publicani eritis. Hac ratione Epistolis Pauli, Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ, cum ultima eiusdem Ioannis Apocalypsi, in Noui testamenti Canone suscepistis: imo eadem noua ac ueteri

scriptura eadem ratione firmissime roborata, ad Veteris testamenti libros sigillatim discutiendos, & Euangelica atque Apostolica autoritate firmandos, transitus fiat.

PROBATIO TOTIUS VETERIS Testamenti ex Euangelio.

EVangelium enim toti Veteri instrumento testimoniũ dat, & eius insuper autoritatibus, ea ipsa quæ prædicat, confirmat. Nonne Christus in Euangelio autoritatẽ Veteris testamenti sua autoritate firmauit, quando post resurrectionem discipulis omnibus apparens, dixit. Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & Psalmis de me? Nonne eandem indissolubili uinculo confirmauit, quando eisdem discipulis suis aperuit sensum, ut intelligerent scripturas? Nonne eadem confirmauit, quando duobus discipulis in Emaus euntibus, dixit. O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quę locuti sunt prophetæ? Et quid ultra exigetis? An non sufficit uobis tanta, tamque clara autoritas, qua Christus legi Moysi, qua Prophetis, qua Psalmis, non confuse, sed distincte testimonium prohibuit, quando primo legis, deinde prophetarum, ad ultimum psalmorum scripta de se, et in se impleri oportuisse docuit? Sed licet, quod præmisi, ad Veteris scripturæ autoritatem confirmandam plene sufficiat, profero tamen de eodem cui creditis, Euangelio, quamuis ex superabundanti, sigillatim testimonia diuinis libris attestantia: quibus auditis, non solum eos diuinos credatis, sed insuper uos, de ipsis, uel in aliquo dubitasse, erubescatis.

Vet. testi. autoritas, uerbis Christi confirmatur Luc. ult.

Et ut a capite eorundem sacrorum librorum incipiam recolite, si non meministis, libro Geneseos Christum testimonium

Testimonia Euangelij ex quinque libris Moysi Genesis.

nium dantem, & ad confirmanda uerba sua, de eo testimonia plurima proferentem. Sicut (inquit) fuit in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis. Edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usq; in diem qua intrauit Noe in arcam, & uenit diluuium, & perdidit omnes. Item. Sicut factũ est in diebus Loth, emebant, et uendebant, plantabant, ædificabant. Qua die autem exijt Loth, a Sodomis, pluit ignem, & sulphur de cœlo, & omnes perdidit, Hoc et initium Euangelij secundum Math. affirmat, & eidem libro testimonium dat, quando librum generationis Iesu Christi, per Abraham, Isaac, & Iacob, Iudam & Phares (qui omnes ex eodem Genesis libro sumpti sunt) congrua narratione contexit.

Luc. xvij.

Accedite inde ad Exodum, & audite Christum contra Saducæos de eodem libro testimonium assumentem. Quia (inquit) resurgant mortui, Moyses ostendit secus rubum, cum dicit Dominum Deum Abraham, & deum Isaac, & deum Iacob. Item de eodem. Patres uestri manducauerunt in deserto manna, & mortui sunt. Nã liber ille ante omnes alios narrat, deum xl. annis pluisse manna Hæbreis. Rursus in ipso. Os non comminuetis ex eo. Et item Apostolus. Neq; idololatræ efficiamini, quemadmodũ scriptum est. Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.

Exodo. Luc. xx. Ioan. vi. Exo. xvi. Exo. xij. Io. xix. Exo. xxxij.

Venite dehinc & ad Leuiticũ, & Audietis Christũ leproso, quẽ mandauit dicentem. Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.

Leuitico. Luc. v.

Inde ad librũ Numeri gressum extẽdite: & audietis Christum, passionis suæ de eo testimonium, & similitudinẽ assumentem. Sicut (ait) Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Et Apostolus, Neq; (inquit) tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerũt, & a ser-

Libro numeri. Ioan iij. Nume. xxi. i. Corin. x.

& a serpentibus perierunt. Neq; murmurauerilis, sicut quidam eorũ murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.

Accedite & ad ultimum pentatheuci, hoc est legis Mosaicæ, librum, qui Deuteronomium, id est secunda lex dicitur: & audieris de ipso plurima Christum in Euangelio testimonia producentem. De quibus illa sunt quæ Diabolo tentanti respondit. Scriptum est. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo dei. Et item: Scriptum est. Non tentabis dominum deum tuum. Ac deinde. Vade Satana. Scriptum est enim, Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et illud. Domus mea, domus orationis uocabitur.

Deuteronomio. Deu. viij. Math. iiij. Deut. vi. Math. xxi.

Videtis adhuc nõ esse repudiandos libros, quos sic Christus approbat: nõ esse mendaces uel apocryphos, de quibus Veritas testimonium profert: non esse abijciendos, de qbus uerba sua, ipsum uerbũ æternũ, ipsa dei sapientia, cõmuniuit.

Sequantur post hos, & alij diuini, & prophetici libri: quorum primus est ille, qui dicitur Iesu Naue, cui autoritatẽ dat ipsum, & proximum quod ab Euangelio autoritatem meruit, Deuteronomium. In eo enim scriptum est. Præcepit dominus Iosue filio Nun: et ait: Confortare et esto robustus. Tu enim introduces filios Israhel, in terrã quam pollicitus sum, et ego ero tecum. Dant ei autoritatem, et Psalmi: q(sicut supra dixi) de Christo, eodem Christo teste, scripti sunt, et ei ueritate prophetica testimonium ferunt. Nam in eis scriptum est. Et eiecit a facie eorum gentes, et sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. Item in eisdem Psalmis. Mare uidit, et fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Et uersu interposito. Quid est tibi mare quod fugisti, et tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Fugit enim mare uirtute dei per Moysen: Iordanis conuersus est retrorsum, eodem deo operante per Iosue.

Ex libro Iesu naue siue Iosue. Deut. xxxi. Iosue. i. Psal lxxvij. Psal. cxiij. Exo. xiiij. Iosue. iij.

Psal.lxxxvi Quod nusq̃ (nisi in ipso de quo agitur Iesu Naue libro)
Math.ij. legitur. Sed & alibi, in iam dictis Psalmis (licet in figura)
dictum legitur. Memor ero Raab, & Babylonis scientium
me. Quod ipsum Euangelium non figurate, sed historice cõ
firmat. Naason, inquit, genuit Salmon Salmon, aũt genuit
Iosue ij. Booz de Raab. Quæ Raab in solo isto libro legitur, nũtios
Iosuę (exploratores scilicet terræ Chanaan) abscondisse, &
astu, seu consilio suo, ad eum qui miserat, saluos remisisse,
& ob hoc salutem cum domo integra, & consortium Isra-
helitici populi meruisse.

Ex Libro Iudicum. Sequitur huc Iudicum liber, quem Canonicum facit pro-
ximus, & præcedens eũ de quo egimus, liber: qui supra scri-
ptis testimonijs, iam de Canone esse probatus est. Sic enim
Iosue ult. in eo scriptum est. Seruiuit Israhel Domino cunctis diebus
Iosue, & seniorum: qui longo post eum uixerunt tempore,
& qui nouerant omnia opera domini, quę fecerat in Israhel,
utiq; principes, et iudices, qui post eũ Israheli principati sunt,
designans. Huic Iudicum libro & sepe, nominati Psalmi au-
toritatis testimonium dant: cum alienigenas, & in illo Iudi-
cum tempore, oppressores populi dei, ex parte enumerant.
Nam sic in eis legitur. Simul aduersus te testamentum di-
sposuerunt, tabernacula Idumæorum & Hismaelito. Moab
& Agareni, Gebal, & Amon, & Amalech alienigenæ, cum
Psal.lxxxij. habitãtibus Tyrũ Etenim Assur uenit cũ illis, facti sunt in ad
iutorium filijs Loth. Fac illis sicut Madian, & Sysaræ: si-
cut Iabin in torrente Cisson. Disperierunt in Endor, facti sũt
ut stercus terræ. Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb,
& Zebee, & Salmana. Quod si & Apostolus consulatur,
cuius uerbis omnibus uos fidem integrã dare (sicut supra
probatum est) necessitas ipsa compellit: audietis cum in E-
pistola ad Hebræos inter alios patres, fidem Iudicũ istorum
prædi-

prædicantem,& eidem libro autoritatem Canonicam dan- tem,cum dicit.Et quid adhuc dicam ? Deficiet enim me tē- pus enarrantem de Gedeon,Barach,Samson,Iepte,qui cer- te antequam reges Iudæis præessent, eisdem Iudeis non re- gum,sed Iudicum nomine præfuerunt. Heb.xi. Ex libro Ruth.

Dehinc paruus, sed ab ipso Euangelio confirmatus liber Ruth,sequitur : sicut in genealogia legit̄ Saluatoris . Booz (inquit)genuit Obeth ex Ruth.Quę cum alienigena esset, qualiter uiro Iudæo iuncta sit,liber tantum ille exponit: qui sicut dictum est, Canonicam autoritatem ab Euangelio meruit. Math.i.

Hinc ad Samuelis & Regum libros stilus festinet: et cre dentibus pariter atq; incredulis, eos non tantum propheti- ca,sed & Euangelica autoritate firmissime subnixos esse de- monstret. Nonne solo principio Euangelij quantalibet uel quantumlibet munita resistentium hostium machina euer titur, cum per totum orbem Euangelica ac cœlesti uoce le- gitur, Liber generationis Iesu Christi,filij Dauid ? Nam cū filius dei,filius Dauid esse prædicatur, quid sublimius uel ip sum Dauid extollit, uel de eo scriptam historiam commen- dat,sed licet magnum sit ad commendandam personam de eo scriptam historiam quod Euangelista Iesum Christum Dauid filium esse narrat,maius tamē,immo maximum est: quod idem dei filius,eius se filium confirmat.Nam interro- gans Phariseos , cuius Christum filium dicerent : respon- dentibus illis , Dauid:proposuit de diuinitate Christi ænig- ma,quod, quia illi non intelligentes, soluere non potuerūt, ut Euangelium loquitur , nemo poterat respondere ei uer- bum.Non,inquam,ad plenissimam librorum illorum auto ritatem sufficit,quod de tanto uiro,tam sublimi rege,tam di uino propheta, tota pene series eorum respersa est, uel quod Ex libris Samuelis et Regum. Mat.xxij.

tota genealogia Saluatoris ab ipso Dauid, sicut in Euangelio, sic in eisdem libris usq; ad Babylonię transmigrationem descripta est? An necesse erit ipsa uerba Saluatoris in medium producere, & de ipsis autoritatem illorum firmare? Sed quid fatigat nos impudens aut imprudens temeritas? Ad eam igitur magis magisq; confundendam & confutandã, ueniant, ueniant inquam, saluatricis Veritatis uerba: & perdendis (nisi resipuerint) mendacibus, de libris ueracibus testimonia proferant. Nonne quando pueri in templo cla-
Mat. xxi. mabant, Osanna filio Dauid: & Pharisæi Christo dicebant,
Psal. viij. Audis quid isti dicunt? ipseq; eis respondebat. Nunquam legistis: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, & puerorum uerba confirmabat, & se Dauid filium esse docebat, & Dauid extollebat, & libris qui gesta eius continẽt, autoritatem Canonicam conferabat? Audite tamen eum etiam testimonia de eisdem libris proferentem, & inde magis magisq; eorum autoritatem commendantem. Nam discipulis eius euntibus sabbato per sata, ac uellentibus spicas, ac manducantibus, Pharisæisq; dicentibus, Ecce discipuli
Mar. ij. tui faciunt, quod nõ licet eis facere sabbatis: respondit. Nõ-
1. Reg. 21. ne legistis quid fecerit Dauid, quando esurijt, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domũ dei, & panes propositio-
3. Reg. xvij. nis commedit: quos non licebat edere, nisi solis sacerdoti-
& Lucę. iiij. bus? Item in alio loco eisdem Pharisæis. Dico uobis: multæ uiduæ erant in diebus Heliæ in Israhel, cum facta esset fames magna in terra, quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex, & ad nullam illarum missus est He-
4. Reg. 4 lias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem uiduam. Et multi leprosi erant sub Helisæo propheta in Israhel, & nemo eorũ mundatus est, nisi Naaman Syrus. Ecce ista omnia de libris Regum ueritas protulit, & idcirco eos ueraces esse ostẽdit

Curra

Currat inde sermo ad prophetas : ac primo Euangelico prophetæ Esaiæ, ipsum Euangelium testimonium ferat. Venit (inquit) Iesus Nazaret ubi erat nutritus, et intrauit secundum consuetudinem suam, die Sabbati in synagogam. Et surrexit legere: & traditus est illi liber Esaiæ prophetæ. Et ut reuoluit librum, inuenit locũ ubi scriptum erat. Spiritus domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, et prædicare captiuis remissionem, & cæcis uisum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eũ. Cœpit autem dicere ad eos. Quia hodie impleta est hæc scriptura, in auribus uestris. Item de eodem Libro, alius Euangelista. Iesus (inquit) sciens recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent: ut impleretur quod dictum est per Esaiã prophetam dicentem. Ecce puer meus quem elegi, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam super eum spiritum meum, & iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis in plateis uocem eius : Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad uictoriam iudicium, & in nomine eius Gentes sperabunt. Item alius Euangelista. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum : ut sermo Esaiæ prophetæ impleretur quem dixit. Domine quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est ? Et item. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ut non uideant oculis, et intelligant corde, & conuertant, & sanẽ eos. Hæc dixit Esaias quando

Ex propheta Esaia. Luc. iiij. Esa. lxi. Mat. xij. Esa. 42. Ioan. xij. Esa. liij. Ioan. xij. Esa. vi.

quando uidit gloriam eius, & locutus est de eo. Nonne putatis istum suscipi debere, quem Christus ita suscipit, cuius librum legit, cuius uerba prophetica in se impleta esse ostendit, cuius Euangelistæ, tam frequentibus & multiplicibus testimonijs utuntur, cuius uerbis propheticis, sua euangelica tantopere affirmant?

Ex Hieremia. Mat. xvi. Sequitur Hieremias: quẽ uere prophetam, & cuius uerba ut prophetica suscipienda esse Euangelium nõ tacet. Nã interrogante discipulos Domino, quem dicerent homines esse filium hominis? responderunt. Alij Ioannem Baptistã, alij Hæliam, alij Hieremiam, aut unum ex prophetis. Rursum de proditoris Iudæ proiecto argento, & inde agro figuli in sepulturam peregrinorum, a sacerdotibus empto, ait
Math. 27. Euangelista. Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam dicentem. Et acceperunt triginta argenteos, precium appreciati, quod appreciauerunt a filijs Israhel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi
Zach. xi. dominus. Cui testimonio, simile quiddam & in Zacharia
Math. ij. & inuenitur. Et de interfectione innocentum puerorum, ait i-
Hieremi. 31. dem Euangelista. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam prophetam. Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit cõsolari, quia non sunt.

Ex Ezechiele. Ezechielem etiam canonicum, Apostolica pauli uerba faciunt, qui in Epistola 2. ad Corint: ex eodem Propheta, in
2. Corin. 6. troducit deum loquentem. Quoniam inhabitabo in illis &
Ezech. 36. inambulabo, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus. Et in Epistola ad Roma. usus uerbis eiusdem prophetæ
Rom. 2. quasi suis, idem Apostolus ait. Nomen dei per uos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est: subaudi, in eodem propheta.

Danielem

Danielem quoq; inter prophetas uos suscipere, eiusq; scri= pta esse prophetica non negare, eadem uos & sæpe nomina tà euangelica autoritas cogit. Cum (inquit Christus in E= uangelio) uideritis abominationem desolationis, quæ dicta a Daniele est ꝓpheta, stantē in loco sancto, q̄ legit, intelligat. Ex Daniele Mar. xiij. Dan. ix.

Post hos magnos, & uelut principales prophetas, pro= cedamus simul et ad xij. qui minores dicuntur, non inferio= ri autoritate, sed librorum quantitate: & uniuersos, non si= mul, neq; confuse, sed sigillatim, & distincte, Canonicos es= se ꝓbemus. Et ut eo ordine quo a patribus ordinati sunt, & quo ab Ecclesia recitantur, singuli proferantur, proferat mi= sericors Saluator in Euangelio, contra immites Pharisæos De Osee propheta, misericordiæ testimoniū. Euntes (inquit) discite, quid est misericordiā uolo, et nō sacrificiū. Quod pro pheta ille ita intulit. Quia misericordiā uolui, & non sacrifi= ciū: & scientiā dei, plusq̄ holocausta. Et Apostolus de eodē. Vocabo non plebē meam, plebē meam: & non misericordiā consecutam, misericordiā consecutam. Et erit in loco ubi di= ctum est eis, non plebs mea uos: ibi uocabuntur filij dei. Ex Osee. Matth. ix. & xij. Osee vi. Ro ix. & Osee. ij.

Sed & de Iohel, qui hunc sequitur, post effusionem spiri= tus sancti, a Christo in Euangelio discipulis promissam, & die Pentecostes exhibitam, ait Iudæis Petrus Apostolus in actibus Apostolorum. Hoc est quod dictum est per prophe tam Iohel. Erit in nouissimis diebus (dicit dominus) effun dam de spiritu meo super omnem carnem. et prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ. Iuuenes uestri uisiones uidebunt, & senes uestri somnia somniabunt, & reliqua quæ prolixi= tatis causa non scribo. Ex Iohel Actuum ij. Iohel ij.

Amos Prophetæ, qui huic iungitur, liber ille regum sæpe dictus & euangelica autoritate firmatus, testimonium dat. Nam quod in hoc propheta factum, in libro illo legitur præ= Ex Amos. Amos. i.

dictum. Sic enim ait iste. Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non conuertam eum: eo quod triturauerit in plaustris ferreis Galaad: & mittam ignem in domum Azahel, & deuorabit domos Benadab, & conteram uectem Damasci. De his in libro Regum sic loquitur ipsi Azaheli Helisæus propheta. Scio (inquit) quæ facturus es filijs Israhel mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio: et paruulos eorũ elides, et pregnantes diuides. De Benadab quoq;, & Damasco, & malis Azahelis, quibus pene attriuit Israel, plene ibidem legitur.

4 Reg. 8.

Ex Abdia. 1. Corinth. 1 & Abdiæ 1.

De Abdia etiam ait idem Apostolus in 1. Epistola ad Corinth. Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo.

Ex Iona. Mat. 12.

De Iona uero quis non audiuit, quis non imo pectore recondidit, quod Saluator in Euangelio, mortem & resurrectionem suam naufragio, & euasioni eius comparans, ait Iudæis. Signum non dabitur uobis, nisi signum Ionæ prophetæ, sicut enim fuit Ionas in uentre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus? Et rursum. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Ionas hic.

Ex Michea. Mat. 2. Micheæ. 5.

Quæ autem inter omnes de Christo prophetias, Micheæ prophetia in Euãgelio clarius resonat? quam, nato Christo in Bethleem, Principes sacerdotum, & Scribæ populi, Herode interrogante, protulerunt. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda? Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israhel: & egressus eius ab initio a diebus æternitatis.

Ex Naum. Rom. 10.

Veniat post hos, & Naum propheta: cuius testimonio Apostolus

Apostolus in Epistola ad Rom. utitur. Quam speciosi (in- Naum.
quit) pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium Esa.lij.
bona. Licet paucis mutatis uerbis, iste dicat. Ecce super mõ-
tes, pedes annunciantis, & euangelizantis pacem. Quod te-
stimonium Esaias pene eisdem uerbis, sed tamen uno eodẽ-
que uersu protulit : quia non multiplex uel diuersus, sed
unus, & idem spiritus est, qui per Esaiã, & Naum, et per oẽs
locutus est ꝓphetas. Vnde quia per eundẽ spiritũ idẽ uterq;
locutus est, hoc de utroq; testimoniũ ab Apostolo sũptũ est.

Cui uero in toto orbe Abacuch prophetæ autoritas non Ex Abacu.
innotuit? cũ & frequenter legatur, & libenter audiatur trãs Dan.14.
latus ab angelo per cincinnũ capitis de Iudæa in Babilonẽ,
ibiq; Danieli in lacu leonum clauso, prandium quod messo-
ribus parauerat, exhibuisse: Quod si istud, iuxta beatũ Hie-
ronymum, quia in Hebraicis libris non legitur, insufficiens
uidetur, ueniat more suo Apostolus, cumque diuinum, & ue-
racem non pseudo Prophetam esse, sumpto de eo testimo- Rom &
nio, comprobet: sicut in Epistola ad Rom. & illa ad He- Heb. 10.
bræos dicit. Sicut (inquit) scriptum est, utiq; apud hunc
prophetam. Iustus autem ex fide uiuit.

Sed & tam de Sophonia q post hunc ueniet, q̃ de Esaia, Abacu 2.
Apl'us in Ep'la ad Rom. Reliquiæ (inquit) filiorum Israhel Rom. ix.
saluæ fient. Sophonias aũt sic eandem sententiam suis uerbis Ex Sophonia.
explicans: Sperabunt (ait) in nomine domini reliquiæ Is- Sopho. 3.
rahel. Esaias aut sic. In ueritate reliquiæ conuertentur. Reli-
quiæ, inquam, Iacob, ad deum fortem. Esa. 10.

Iam uero Aggeo ꝓphetę, ipsa Euãgelica ueritas testimoniũ Ex Agge.
dat, cum ait. Post transmigrationem Babylonis, Iechonias Aggei 2.
genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel. Ad
quem Zorobabel, missus a deo iste Propheta, ait. Con-
fortare Zorobabel, dicit dominus, et Confortare Iesu fili

F ij Iosedech,

Iosedech, sacerdos magne, & confortare omnis popule terræ, dicit dominus exercituum: & facite (quoniam ego uobiscum sum dicit dominus exercituum) uerbum quod pepigi uobiscum &c. Nam mittebatur propheta Domini, ut confortaret principem, & populum, ad construendam, quã Chaldæi destruxerant, Domum dei. Sed & Apostolus, in Epistola ad Hebræos, ad confirmanda magna quædam de quibus tractabat, nobile de textu eius testimonium profert. Adhuc (inquit) unum modicumq; est, & ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam: & mouebo omnes gentes, & ueniet desyderatus cunctis gentibus.

Heb. xij.

Aggei ij.

Ex Zacharia.

Huic eius socium Zachariam, ordo ipse librorum, et temporis coniungat. Cuius testimonium Euangelium solenniẽ proferens, ait. Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalẽ. Ecce rex tuus, uenit tibi iustus, & Saluator. Ipse pauper, & ascendens super Asinam, & pullum filij asinæ. Et dominus ipse in eodem Euangelio proximus passioni, eiusdem prophetæ uerba assumens, ait discipulis. Scriptum est. Percutiã pastorem, & dispergentur oues. Item de eodem propheta, Euangelium. Videbunt, in quem transfixerunt.

Math. xxi. & Io. xij. Zach. 9. Mat. xxvi. Zach. xiij. Ioan. xix. Zach. xij.

Vltimus in ordine xij. prophetarum, sed autoritate non inferior, Malachias sequit. Cuius prophetæ pene ꝑpria uerba Apostolus in Epistola ad Rom. festiue commemorat, dicens. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et saluator ipse in Euangelio de Ioanne Baptista loquens turbis, & discipulis ait. Hic est de quo scriptum est. Ecce mitto angelum meum, qui præparabit uiam ante faciem meam. Quo testimonio Saluator usus, ostendit non esse repudiandum, quẽ ipse non in occulto, sed in publico iudicauerit suscipiendum.

Ex Malachia. Rom. ix. Mat. xi. Malach. iij.

Hic ad Iob mirabilem, et licet non Iudæum, sed gentilem, ore tamen dei excellenter laudatum, sermo decurrat,

Ex Iob.

& post

& post prophetas uiro prophetico uox Apostolica testimo nium ferat. Dicens enim Apostolus. Sapientia huius mundi stulticia est apud deum: subiunxit. Scriptum est enim: Cõprehendam sapientes in astutia eorum. Quod certe non de alia scriptura, quam de libro Iob protulit. Ezechiel quoq; (quem iam autenticum esse probauimus) iusticiæ Iob mentionem faciens, eius libro attestatur, ex persona Domini loquens. Si pestilentiam immisero super terram, & effudero in dignationẽ meam super eam in sanguinem, ut auferam ex ea hominem & iumentum, & Noe, Daniel, & Iob, fuerint in medio eius: uiuo ego, dicit Dominus deus, quia filium, et filiam non liberabunt, sed ipsi iusticia sua liberabunt animas suas. 1. Corint. 3. Iob. 5. Ezech. xiiij.

Iam uero Psalmorum autoritatem licet superius plene ostenderim, quia tamen series diuinorum librorum hoc in loco eos obtulit, addantur adhuc ex Euangelio testimonia maiestati eorum magis magisq; attestantia. Saluator his sæpe utitur, cum ad credulitatem uerborum suorum, nullius testimonio egeat: ea tamen de Psalmis (ut supra dictum est) sæpe confirmat. Hinc est illud: quod (sicut prædixi) Pharisęis obiecit. Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Sed & illud inde est, quod post parabolam uineæ & hæredis interfecti, & homicidarum perditionis, eisdem Pharisęis dicentibus: Malos male perdet, respondit: Nunq; legistis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? De his et Euangelista testimonium assumẽs, dignitatem eorum corroborat, cum dicit. Hæc omnia locutus est Iesus ad turbas in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis: ut impleretur quod dictum est per prophetã. Ex Psalmis. Psal. 109. Mat. xxi. Psal. 117. Mat. xiij. Psal. 77.

Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a con stitutione mundi.

Ex libris Salomonis. Et quia psalmorum autoritas, tam his quam innumeris alijs testibus & testimonijs, uelut a summo cœli cardine fulget, post Dauid & Psalmos eius ad Salomonem & libros eius, stilus festinet, eiusque sapientiæ Christum in Euangelio

Mat. xij. & Luc. xij. attestantem, ostendat. Regina (inquit) Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia uenit a finibus terræ, audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic. Libris quoque eius idem Saluator testimonium reddidit, cum in die magno festiuitatis, stans in templo, clamabat, dicens. Siquis sitit, ueniat ad me & bibat. Et

Ioan. vij. Prouer. 5. de libris Salomonis sumpto testimonio. Qui credit in me, inquit, sicut dicit scriptura, Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Et Apostolus in Epistola ad Hebræos, de prouer

Heb. xij. Pro. iij. bijs quædam assumens, ait. Fili mi, noli negligere disciplinā patris tui, neque fatigeris dum ab eo argueris, Quem enim diligit deus, castigat. Flagellat aūt omnem filium quem recipit. Itemque idem de eisdem Salomonis libris, in Epistola ad

Rom. xij. Prou. xxv. Rom. Mihi uindictam, & ego retribuam. Sed & Regum liber quem (sicut superius ostendi) in arce Canonica Christus constituit, eisdem Salomonis singulari sapientiæ, ac sæpe dictis eius libris testimonium reddit, ut est illud., Dedit

ij. Reg. iiij. deus sapientiam & prudentiam Salomoni multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris. Et præcedebat sapientia Salomonis, sapientiam omnium Orientalium, & Aegiptiorum: & erat sapientior cunctis hominibus. Sapientior Ethan Ezhraita, & Eman, & Chalcol, & Dordan, filijs Maol. Libris uero eius, hoc est Prouerbijs, Ecclesiaste, Carminibus, idest canticis canticorum,

rum, & reliquis, tale testimonium dat. Locutus est (ait) Salomon tria millia parabolas, & fuerunt carmina eius quinque millia, et disputauit super lignis: a Cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete. Et disseruit de iumentis, & reptilibus, & uolucribus, & piscibus.

Libro quoque illi, qui hebraice Dibre haiamim, Græce Paralipomenon, Latine, uerba dierum dicitur, sæpe nominatus Regum liber attestatur, eique parem sibi autoritatem tribuit, dum ad eum, se legentes frequenter transmittit. Tractans enim, & narrans acta regum Iuda & Israhel: fere de omnibus subdit. Reliqua uero sermonum illius, uel illius regis, nonne hæc scripta sunt, in libro uerborum dierum regum Iuda, uel in libro uerborum dierum Israhel? Paralipomenon.

Esdræ etiam uolumen, maximus Prophetarum Esaias, canonicum comprobat: cum ea quæ ipse ante multa secula prædixit, hic facta esse ostendit. Ait enim Esaias, deum introducens loquentem. Qui dico Cyro, pastor meus es, & omnem uoluntatem meam complebis. Qui dico Hierusalem ædificaberis, & templo, fundaberis. Et subsequenter. Hec dicit dominus Christo meo Cyro, & quibusdam de ipso Cyro interpositis, ad ipsum Cyrum deus uerba conuertit, eique loquitur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & uectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum. Subditque causam, cur tantam ei potentiam conferat. Vt scias, ait, quia ego dominus, qui uoco nomen tuum deus Israhel: propter seruum meum Iacob, & Israhel electum meum. Vt scilicet septuagenariam Babyloniæ captiuitatem absoluat, & populo Israhel ab eo ad patriam remisso urbem Hierusalem, & templum a Chaldæis destructum,

Esdras. Esa. xliiij.

destructum, rursus ædificari, et fundari faciat: sicut præmis=sum testimonium confirmat, quo ait Deus. Qui dico Hierusalem ædificaberis, & templo, fundaberis. Hæc omnia sic impleta liber Esdræ seriatim exponit, totamq; inde historiæ suæ textum contexit. Quam ciuitatis & templi reædifica=tionem post lxx. captiuitatis annos, & Hieremias prædixe=

Hiere. 29. rat: sicut legentibus clarum est, Prophetiam igitur Esaie, & Hieremiæ Esdras suo tempore completam narrat, quod in solo eiusdem libri principio satis apparet. In anno (inquit) primo Cyri regis Persarum, ut compleretur uerbum domini ex ore Hieremiæ, suscitauit deus spiritum Cyri regis Per=sarum, & transduxit uocem in uniuerso regno suo, etiā per

Esdræ. 1. scripturam dicens. Hæc dicit Cyrus Rex Persarum. Omnia regna teræ dedit mihi dominus deus cœli, & ipse præce=pit mihi ut ædificarem ei domum in Hierusalem, quæ est in Iudæa. Quis est in uobis de uniuerso populo eius? Sit dominus Deus illius cum ipso. Ascendat Hierusalem quæ est in Iudæa, & ædificet domum domini dei Israhel. Ipse est enim deus, qui est in Hierusalem. Et omnes reliqui in cunctis lo=cis, ubicunq; habitant, adiuuent eum uiri de loco suo, argen=to & auro, & substantia, & pecoribus, excepto quod uoluntarie offerunt templo dei, quod est in Hierusalem.

Hester. Vltimus in agiographis, hoc est sanctæ scripturæ libris, sequitur liber Hester: cui autoritatem aliorum agiographo=rum autoritas confert. Si enim illi ab Hebraica ueritate ori=ginem trahentes hunc socium, & paris autoritatis in eodem hebraico Canone habuerunt: sequitur, quia nullo eorum li=brorum excepto, omnes pari modo suscipi debuerunt. Sed non solum Christianis, sed et ipsis Iudaicis literis attestanti=bus, omnes iuxta supra scriptum ordinem libri, a libro Iob usq; ad hunc, de quo agitur, librum Hester, eo. s. non excluso

sed

sed addito, paris autoritatis sunt. Igitur absq; distinctione aliqua, omnes æqualiter suscipi debuerunt. Quod quia ita est, cum Christus, Apostoli, & prophetæ autoritatem præcedentibus, & huic libro paribus libris, suis testimonijs dederint, indubia ratione cogente, huic quoq; libro dignitatem similem contulerunt.

Restant post hos autenticos sanctæ scripturæ libros, Sex non reticendi libri, Sapientiæ Iesu filij Sirac, Tobiæ, Iudith, & uterque Macabæorum liber. Qui & si ad illam sublimem præcedentium dignitatem peruenire non potuerunt, propter laudabilē tamen, & pernecessariam doctrinam, ab Ecclesia suscipi meruerunt. Super quibus uobis commendandis, me laborare opus non est. Nam si Ecclesia alicuius precij apud uos est, eius autoritate aliquid, saltem parum quid, a uobis suscipiendum est. Quia si (sicut Iudæis de Moyse Christus dixit) eius Ecclesiæ non creditis, quomodo uerbis meis credetis? Ecce qui non, nisi soli Euangelio, uos credere dicebatis, iam rogo, ut non nisi soli Euangelio credatis. Nam sicut inprimis dixi. Si soli Euangelio creditis, necessario toti huic, quod auditis, Veteri instrumento credetis. Fert enim Euangelium omnibus, quos supradixi, testimonium, eisque autoritatem Canonicam dat, cum sermones suos, eorum sermonibus confirmat.

Libri secundi canonis.

Ioan. 5.

Sed forte dicetis, non de omnibus præcedentibus libris sumpta ab Euangelio testimonia. Sed nunquid non ab Euangelio sumuntur, quæ ab his libris, a quibus idem Euangelium testimonia producit, trahuntur? Nunquid non uerax, & Canonicus liber ille iudicabitur, qui ab eo, cui ueritas testimonium perhibet, ueritatis laudem meretur? Si inquam, Prophetæ & Psalmi non tantum a seipsis,

Obiectio.
Solutio.

ſed etiam ab Euangelio canonicam autoritatem obtinent: cur non & eis libris, quibus teſtimonium ferunt, eandem tribuere ualent? An forte Euangelium Prophetis, uel Pſalmis teſtimonium ferendo, non fallitur: & prophetæ, & Pſalmi, alijs teſtimonium ferendo, mentiuntur? Nonne & ipſa ſecularia teſtimonia hoc habent, ut qui laudabilis probatus fuerit, etiam alios laudabiles eſſe ſuo probare teſtimonio poſſit? Hac ratione libros ex libris, præcedentes ex ſequentibus, ſequentes ex præcedentibus, diuinos, canonicos, autenticos eſſe probamus, & eorum au-

2 Corin. x. toritate iuxta Apoſtolum, omnem ſcientiam extollentem ſe aduerſus altitudinem dei abijcimus, deſtruimus, conculcamus. Hoc modo cum omnibus his de quibus egimus, libris crediderítis: ſoli (ut dixiſtis) Euangelio credetis. Probatis igitur ex Euangelio cui ſoli credebatis, reliquis libris Noui teſtamenti, & ex ipſo Nouo teſtamento, omnibus libris Veteris teſtamenti autentica authoritate attributa, iam id unde uobiſcum cæperam, ſpiritu dei præuio, exequendum eſt.

SEQVITVR IN ORDINE
probatio præmiſſi Primi capituli.

Fides aliena prodeſt corporis ſanitati. Ioan. 4.

ET quia ex quinq; propoſitis capitulis, illud primum erat, quod de paruulorum baptiſmo diſputat: ad idem ſermo redeat, ut tam illo, quam cæteris Euangelica, Apoſtolica, atq; Prophetica autoritate (quia iam his non ualetis reſiſtere) confirmatis, error hæreticus conquieſcat. Hoc certe uidendum eſt, ſi fide (quod negatis) alterius, alter ſaluatus eſt. Regulus in Euangelio pro ſanitate filij rogans, audiuit a domino, Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo

sermoni quem dixit ei Iesus: & ibat. Et quid sequitur? Iam enim eo descedente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt dicētes: quia heri hora septima reliquit eum febris. Quid deinde? Cognouit ergo (inquit) homo: quia illa horā erat in qua dixit ei Iesus, filius tuus uiuit. Centurioni pro puero paralytico deprecanti, post laudatam egregie fidem ipsius, ait idem Saluator. Vade & sicut credidisti, fiat tibi. Et mox subditur. Et sanatus est puer in illa hora. Archisynagogo pro filia morti proxima deprecanti, ait. Crede tantum, & salua erit. Ad quam post paululum ingressus, & iam mortuæ manum tenens, dixit. Puella surge. Et surrexit: & iussit illi dare manducare. Alteri pro dæmoniaco filio exoranti, ait. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et ille. Credo domine: adiuua incredulitatem meam. De quatriduano Lazaro Marthæ dicenti, Domine iam fetet: quatriduanus enim est: inquit. Nonne tibi dixi, quia si credideris, uidebis gloriam dei: Mulieri Chananeæ pro filia exoranti, ait. O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut uis. Et sequitur Euangelium. Et sanata est filia illius, ex illa hora.

Mar. 8. Mat. 9. Mar. 5.

Mar. 9. Ioan. 11.

Math. 15.

Sed forte dicetis. Cum de animabus baptizatorum paruulorum sermo sit, utrum per Baptismum a peccatis mundentur: quid nobis corporum sanitates opponis? Iuste, inquam, quoniam qui aliena fide aliorum Corpora curata demonstro, ab eodem animarum, & corporum conditore, aliorum fide, aliorum animas purgari ostendo. Nephas est enim credere, ut relictis animabus, corpora Saluator saluauerit, cum & maxime animarum Saluator dicatur, & gratia animarum omnis ab illo inter homines celebrata fuerit curatio corporum. Tamē nec istud mihi deo donante deerit, ut sicut carnem, sic & spiritum humanum ab

Fides aliena prodest spiritui quoq; & animæ saluti.

ipso probem fuisse saluatum. Quod Doctorum sanctorum uerbis ostenderē, nisi accepto a uobis libello repudij, de medio recessissent. Docebat aliquando turbas Christus in domo, & uerbum dei, ipsum uerbum dei mortalibus prædicabat. Venerunt quidam, attulerūt hominem paralyticum, in Mat. 9. lecto iacentem. Cunq; (ut ait Euangelium) non possent illum inferre præ multitudine hominum, ascenderunt super tectum, & per tegulas submiserunt eum in medium, ante Iesum. Quorum fidem ut uidit, dixit. Remittuntur tibi peccata. Cumq; super hoc uerbo quidam scandalizarentur, dixit. Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra, dimittendi peccata, ait paralytico. Surge, tolle lectū tuum, & uade in domum tuam. Et surrexit, et abijt in domum suam. Quid uos ad ista? Ecce hoc non de Augustino, sed de Euangelio protuli. Cui cum maxime uos credere dicatis, aut aliorum fide alios tandem posse saluari concedite: aut de Euangelio esse quæ posui, si potestis, negate. Ecce Reguli fides, non pro se, sed filio rogans auditur. Centurionis fides, non pro se, sed pro puero humiliter interueniens, non tantum auditur, sed & singulari laude effertur. Archisynagogi filia, non sua, sed patris fide resurgit. Dæmoniacus non sua sed patris fide curatur. Martha, quia credit, dei gloriam resurgente Lazaro uidet. Chananæa, non pro se, sed pro filia male a dæmonio uexata, orans, audit. Fiat tibi sicut uis. Fide illorum qui attulerant, Christus Paralyticum non tantum curat, sed etiam peccata eius remittit, plenaque misericordia Saluator non dimidium, sed totum hominem, saluat.

Fides Ecclesiæ prodest paruulis. Vnius inq; fidelis fide, tanta alijs Christus impertit: & totius Ecclesiæ fides, Baptizatis paruulis nihil ualebit? Et quid est quod suprascripsi, dixisse dominū, Omnia possibilia

credenti? Quid est & illud, quod alibi ait. Siquis non hæsitauerit in corde suo, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei? Quid et illud. Amen dico uobis, quia quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis: & fiet uobis. Quid & illud notissimum. Si habueritis & fidem sicut granum Sinapis, dicetis monti, Transi in mare, & transibit? Si omnia uni credenti possibilia sunt: certe uniuerso orbi pro paruulis Baptizatis credenti & oranti, impossibilia esse non possunt. Credit Regulus, & saluatur filius eius, credit Martha, & suscitatur Lazarus: credit mundus, & saluatur paruulus. Credit pater, & surgit filia: credit Chananæa, & a dæmonio purgatur filia: credit Ecclesia, & a peccatis mundatur anima. Credit Centurio, et non solum puer eius curatur, sed & fides eius Israheli preponitur. Credunt paralytici delatores, posse a Christo eius curari corpus; & curatur eius & anima, & corpus. Credunt quotidie paruulorum delatores pro eis, & dum profunditur uisibili baptismate corpus, mundantur a peccatis animae inuisibili uirtute spiritus. Et quis potest uniuersa his similia de Euangelio colligere? Orat astantium fides pro febricitante socru Petri dominum, qui stans super illam imperat febri, et dimittit eam. Et quid sequitur? Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos uarijs languoribus, ducebant illos ad eum, & curabantur. Neque hic in tanta infirmorum multitudine, aliquorum propria fides manifeste monstratur: sed eos ad salutis largitorem adducentium credulitas aperte commendatur. Videtis igitur non tantum paucos quos supra memoraui, diuerso tempore infirmos, sed etiam multos, momento temporis, aliena fide a Christo sanatos.

Mar. xi. & Mat. xxi. Mat. xvij. Marci. ii.

Iam si post Euangelia ad Apostolorum actus sermonem conuertam: occurrit primus Apostolorum Petrus, qui rogatu discipulorum, fide ac precibus uiduarum, Tabitam mortuam

Probationes ex actibus Apostolorum. Actu. xi. Actu. xiij.

tuam ſuſcitauit, & ipſe poſtmodum de Herodis cuſtodia, & catenis, Eccleſiæ fide & oratione exiuit. Quantum plane fides aliena alijs prodeſſe ualeat, Hieruſalem plateæ indicant: in quas (ut ſcriptura illa ait) multitudo credentium uirorum ac mulierum ejciebant infirmos, & ponebant in lectulis & grabbatis, ut ueniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quenq; illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Et ſubdit. Concurrebant autem & multitudo uicinarum ciuitatum Hieruſalem afferentes ægros & uexatos a ſpiritibus immundis: qui curabantur omnes: non utiq; tantũ propria, quantum afferentium fide populorum.

Act. 5.

Probationes ex Paulo. 1. Corin. vij.

Saluatur (ait Apoſtolus) uir infidelis per mulierem fidelem, & ſaluatur mulier infidelis per uirum fidelem. Quod ſi uiri fide, infidelis mulier, & mulieris fide, infidelis uir ſaluatur: cur uiri pariter & mulieris fide, utriuſq; filius non ſaluabitur? Si illi gemina conſtricti catena, mutua fide ſoluũtur: cur originali ſolum nexu compeditus (quantum ad ſe innocens paruulus) utriuſq; parentis & totius (ut dixi) Eccleſiæ fide non ſoluitur? Alioquin ſecundum hunc etiam intellectum, filij eorum immundi eſſent. Nunc autem ſancti ſunt. Immũdi enim eſſent, ſi nullum parentẽ, uel pro parente haberent, quo mediatore, ſacramentis fidei imbui, & ab immũditia peccatorum expurgari ualerent.

Probationes ex Vet. Te. de aliena fide.

Si uero ad Vetus teſtamentum accedam, oſtendã unius Abrahę fide gentem maximam a deo electam, aſſumptam, ſaluatam, unius Moyſi fide & precibus, eandẽ ſæpe a morte ereptam, unius fide Dauid & deuotione, tribum & genus ipſius, alijs tribubus & toti genti prælatam Samuelem, Eſaiam, Hieremiam, Danielem, & cæteros fide & conuerſatione ſua, infidelis populi incredulitatem, & prauitatem ſupportantes. Iob ſanctum, pro filijs fide & quotidianis ho-

ſtijs

filijs deo supplicantem. Machabæos pro populo dei fideliter præliantes, & omnes omnino utriusq; Testamenti patres hoc studuisse, ut perfectione fidei & charitatis suæ, imperfectiones imperfectorū perficerent: & quid alijs deerat, ipsi supplerent.

Iam igitur ipsam uestram propositionem ratio perscrutetur. Dixistis. Nec Baptismus sine propria fide: nec propria fides sine Baptismo aliquid potuit. Neutrum enim sine altero saluat. Ad quod ego. Quia baptismus aliquando, sine propria fide saluare possit, sapientibus arbitror persuasum. Quod uero propria fides, aliquando sine baptismate saluet, autoritate uel ratione existimo persuadendum. Legimus martyres plurimos, passionis interuentu præoccupatos, ad baptismum peruenire non potuisse, & ante lauacrum salutare, feruenti fide morti pro Christo animas exponentes, de uita excessisse. Quid ergo uos doctores egregij, quid Euangelicorum uerborum ueneratores ad ista dicetis? Nunquid cum omni temeritate uestra, etiam martyres sanctos condemnare audebitis? Nūnquid præclaros cœli incolas, de supernis descendere, & apud inferos exulare cogetis? Parcite, inquam, parcite, saltem istis: nec Christum Belial, nec lucem tenebris, nec sanctos impijs commiscere uelitis. Hoc si non placet, audite Christum dicentem. Quicunq; confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam. Et beati eritis, cū uos oderint homines, & persecuti uos fuerint. Et, gaudete in illa die et exultate: ecce. n. merces uestra multa est in cœlo. Et unū de seniorib. in Apocalypsi Ioānis Apl̄i loquentē. Hi sunt qui uenerūt de tribulatione magna, et lauerūt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni: ideo sunt ante thronum

Obiectio hæreticorum.

Fides sine Baptismo aquæ quandoq; saluat.

Mar. viij. & Luc. xij. Ioan. xij.

thronum dei, & ſeruiunt ei, die ac nocte, in templo eius, & reliqua.

Martyrium ſine aquæ baptiſmo ſaluat.

Cum enim in omnibus ſententijs iſtis, nihil Chriſtus de Baptiſmate loquatur, neceſſe eſt, ut ſola fideli paſſione, qui Baptizari non quidem contempſerunt, ſed non occurrerũt, ſaluentur. Nam nec illos quos ſe hic confitentes corã patre ſuo Chriſtus confitetur, aut qui odientes animam ſuam, id eſt, contemnentes mortalem uitam, in uitam æternam eam cuſtodiunt, hoc eſt ęternaliter uiuunt, uel beatos illos quos odiunt homines & perſecuntur, ſiue quorum in cœlo multa merces eſſe dicitur, uel qui ſunt ante thronum dei, & ſeruiũt ei die ac nocte in templo eius, qualibet audacia a regno celorum (ut credo) excludere præſumetis. Quod ſi forte ad iſtud (quoniam cuncta de uobis blaſphema ſuſpicari cogimur) temeritate ſolita proruperitis, ut Chriſti, & Euangelij eius negatores, non iam nobis ſicut Hæretici ſed (ut ſupra dictum eſt) ſicut Ethnici & Publicani eritis. Si uero iſtud ui tatis, neceſſe eſt uos Chriſto & eius Euangelio credere, et ſine corporali baptiſmate, ſola fide ac martyrio martyres, eo quo dixi modo, ſaluari ualere. Neq; enim ſtolas immundas habere potuerunt, qui eas in ſanguine agni, & ab immundicia lauerunt, & a peccatorum nigredine dealbauerunt.

Argumentũ a ſimili.

Iam ſi hoc conceditis, propria fide abſq; baptiſmate aliquos poſſe ſaluari, dicetis. Quod ſi propria fide, abſq; baptiſmate, aliquos poſſe ſaluari dixeritis: cur nõ Baptiſmate abſq; propria fide aliquos poſſe ſaluari creditis? Si martyres, fide propria, abſq; Baptiſmo, ſaluãtur: cur paruuli Baptiſmo, abſq; propria (ut dixi) fide non ſaluabuntur? Aut enim ſecũdum nouam hæreſim ueſtram, ſine propria fide & baptiſmate nullus ſaluabitur: aut ſi propria fide, abſq; Baptiſmate aliquis ſaluatur, cõſequenter Baptiſmate, abſq; propria fide,

aliquis

aliquis saluabitur. Paria quippe sunt, nec præponderare sibi inuicem possunt: quoniam & coniuncta eadem operantur disiuncta non dissimiliter prædicantur. Si ergo secundum ea quæ proposita sunt, alterum sine altero saluat, quassatur uestra propositio, qua dixistis, Neutrũ .n. sine altero saluat. Litera occidit.

Quia, si Iudaico more, omnino literæ adhærere decreuistis. Quæ (nisi caute accipiatur) Etiam in Euangelio occidit, exponite huius saltem capituli quod proposuistis præcedentia. Sic enim se habet litera. Ite in orbem uniuersum: prędicate Euangelium omni creaturæ. Eia, Prædicandum est igitur omni creaturæ, iuxta sonum literæ, tam rationali quã irrationali, tam sensibili quam insensibili. Prædicandum est cœlo, & terræ, Soli, & lunæ, mari, & aeri, auibus, & pecoribus, herbis, & arboribus, lignis, & lapidibus. Prædicandum est absq; ulla discretione, omni omnino mundanæ creaturæ, ne Christo non obediatur, qui præcepit prædicari Euangelium omni creaturæ. Quid hoc insanius? Neq; enim (ut æstimo) ita sensum perdidistis, ut alijs quã hominibus Christum Euangelium prædicasse, uel prædicari uoluisse, credatis. Quod si ita est, iam sonus literę sequendus non est: sed sane atq; Catholice suscipiendus, et exponendus est. Aut enim secundum Doctores Ecclesiæ, quos (ut dixi) nephando ausu abiecistis, quia omnis creaturæ aliquid habet homo, omnis creaturæ nomine signatur homo: Aut eo locutionis notissimo, & usitato modo, quo totum pro parte accipitur, & quo pene assidue ipsum uulgus utitur, tota massa totius creaturæ, solus, qui Euangelio saluandus erat, declaratus est homo.

Mar. ult.

Non est omnino sequendus in scripturis literæ sonus.

Grego.

Loquendi modus, uti totum pro parte accipitur.

Nam quis in loquendo hunc modum non quotidie frequentat, immo continuat, totum perdidisti: totum confudisti: totum reparasti: totum saluasti: omne bonum facis:

 omne

omne bonum feciſti: omnes te requirunt: omnes te amant, cum ille qui hoc dicit, & ille cui dicitur ſimul intelligant, hoc non uniuerſaliter, ſed particulariter dici? Scit plane, & loquens, & audiens, nec totum quicquid eſt, ab uno homine perditum, nec totum confuſum, nec totũ reparatum, nec totum ſaluatũ, nec omne bonum ab illo uno factũ, nec ab omnibus illum unum requiri, nec ab omnibus amari, ſed nomine uniuerſitatis, quandã intelligit excellentiam partis. Hinc & ſimiles locutionum modos, ab humana cõſuetudine tractos, & ſæculi ſapientes Poetæ, & Philoſophi, & diuini ſcriptores, Prophetæ, & Apl̃i, conſeruauerunt. Iſto Chr̃s uſus eſt, quando dixit. Prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Iam ſi iſtud conceditis (quod non concedere, niſi negato Euangelio, non poteſtis) ſoli homini prædicandũ eſſe Euangeliũ, neceſſario cõcedetis. Hoc conceſſo: a litera occidente ad ſpiritum uiuificantem tranſibitis: & nõ ſemp ſonum literę, ſed magis quandoq;, ſenſum literæ ſequendum eſſe aduertetis.

Rectum ſcripturæ ſenſum quęrere. Luc. ult.

Ad quid iſta? quoniam ſi iſtud attendere, ſi ſenſum ueſtrũ ſcripturis, non ſenſui ueſtro ſcripturas inclinare, ſi cum timore non cum tumore, ad eas intelligendas accedere maluiſſetis (neq; enim paruũ quid uel commune negotiũ eſt eas intelligere: cum reſurgens Chriſtus a mortuis, nõ quibuslibet, ſed Apoſtolis aperuerit ſenſum ut intelligerent ſcripturas) ſi iſtud inq;, aſpernati non fuiſſetis, nec nouã hereſim condere, nec uos ipſos famoſos hereſiarchas cõſtituere, uobis aliquatenus libuiſſet. Sed nec illã, quã ſæpe iteraui, Euangelij ſentẽtiam, de qua hæc ueſtra hereſis orta eſt, errori ueſtro ancillari, & humanæ perditioni ſeruire cogeretis. Sicut.n. corpus domini indigne ſumentibus, ſic uerbũ domini, praue intelligentibus, mortem operat̃ æternam. Quam & uos ſeductores, & a uobis ſeducti (niſi reſipiſcatis) pariter incurriſtis, quando contra unicum Eccleſiæ baptiſma, homuntiones

Nota.

miſerri-

miserrimos rebaptizastis. Ad tã immane quippe scelus, quid uos aliud, quàm peruerse accepta Euangelica sententia impulit: Qui non crediderit, condemnabitur. Putastis enim teneri paruulos isto uinculo: ut quia credere non ualebant, nec eis aliquid baptizari ualeret. Sed non ita est. Ostendunt hoc ipsa sacra uerba, ostendunt non cæcis, sed uidentibus, ostendunt humilibus, non superbis.

Ite (ait dominus) in orbem uniuersum: prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uero nõ crediderit, condẽnabitur. Terrent uerba ista contumaces, non contemnunt innocentes. Feriunt iniquitatem: non brutam accusant ętatẽ. Perimunt cõtemptores gratię, non contemnunt simplicitatem naturæ. Hoc indicat uerbũ quod dicitur, prędicate. Quõ.n. paruulis prędicandũ est Euangeliũ, quod non intelligũt, nuntiandũ quod non percipiunt, intimandũ quod non aduertunt? Quõ (ut ait Apostolus de maioris ætatis hominibus) inuocabunt in quẽ nõ crediderunt? Aut quõ credent ei, quẽ nõ audierũt? Si utique credere nõ possunt, qui non habent prædicatorem: nec credere possunt, qui non habent credẽdi ætatẽ. Quod si illi a culpa perfidię excusant, propter prædicatoris absentiam: excusantur & isti, propter minus accõmodam prędicationi infantiã. Nã si fides ex auditu, auditus autẽ per uerbũ Dei: nõ potuit esse fides, ubi non fuit auditus: nec auditus esse potuit, ubi non sonuit uerbum Christi. Impedit quidẽ a salute nõ Baptizatos paruulos, peccatum originale, propellit multo magis ab ea, superadditum actuale, sed spretæ fidei reatus, quam quia non audierunt, neque spernere potuerunt, neutros præualet condemnare. Iustus est enim dominus, & iusticias dilexit, qui nunquam ex aliquo exigit, quod nõ commisit, nec compellit aliquem indebita soluere, qui sæpe solet maxima etiam debita indulgere.

Temperate igitur, nimiam quam assumpsistis, seueritatem,

Qui crediderit &c. de adultis intelligitur.

Rom. x.

Paruuli non baptizati cõdemnantur.

Psal. 01.

tem,neq; iuſtiores illo uideri uelitis,cuius omnes uiæ, miſericordia,& ueritas: neq; paruulos excludatis a regno cœlorum,de quibus ipſe dicit. Talium eſt enim regnum cœlorũ. Valde enim indecens,& impium eſt,ut hoc negemus paruulis Chriſtianorum,quod concedimus paruulis Iudæorũ. Sceleſtum plane eſt,non tribuere hoc tempori gratiæ, quod datũ eſt adhuc filijs iræ:peruerſum eſt ea priuilegia dare populo ſeruitutis,quæ negantur filijs libertatis. Neq;.n.lex Euangelio,uel Moiſes Chriſto præponderare potuit:cũ ille ut fidelis ſeruus,hic iuxta Apoſtolum,ut unicus fuerit filius in domo. Circumcidebantur,præcepto diuino,octaua die Hebræorum paruuli,& purgabantur peccato originali. Quæ ibi fides puerorum? Quis,erga ſuſcepta ſacramenta intellectus eorũ? Quæ diuina cognitio? Quæ oris profeſſio? Vbi eſtis,qui paruulos Chriſtianos dãnatis? Saluantur in paruuli Iudæorum,ſacramento Circumciſionis,& non ſaluabunt paruuli Chriſtianorum ſacramento Baptiſmatis? Credit Iudeus et a peccato mundatur filius eius. Credit Chriſtianus, & a ſimili reatu nõ ſoluetur filius eius? Nulla eſt fides paruulis Chriſtianorũ,ſed nec eſt aliqua fides in paruulis Iudeorũ. Saluantur tantũ aliena fide,cum ſuſcepta Circumciſione, ſaluantur,et iſti aliena fide,cũ ſuſcepto Baptiſmate. Quæ ergo uobis ultra uox eſſe poterit? Nunqd tantæ autoritatis mole opreſſa, unq; deinceps muſſitare audebit? Si homines eſtis, rationi credite. Si Chriſtiani,autoritati adquieſcite. Si uidentes,lumen agnoſcite,Si cæci,etiam in tenebris palpate. Tam euidens ſane eſt ueritas uos conuincens,ut non tantum probari,ſed ſi uelitis,etiam poſſit palpari. Vicem baptiſmi Circumciſionem tenuiſſe,oibus notum eſt. Quod enim baptiſmus in Euangelio, hoc in Veteri teſtamento Circumciſio conferebat,niſi quod regnũ cœlorum non ſtatim circũciſis aperiebat.

Argumentum a minori ad maius, de paruulis Iudæorum ad paruulos Chriſtianorum.

Heb 3.

Leuit. 12.

Baptiſmus in Circumciſionis locũ ſucceſſit.

aperiebat. Seruabatur hoc illi qui educit uinctum de domo carceris, qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit: qui solus erat expectatio gentium, et qui Rex erat regni coelorum. Mutatum est Christo adueniente, sacramentum sacramento, & ab autore gratiæ, iugum legis leuiatum: ut sicut carnis pœna, carnis culpam expiabat: sic absq; carnis uulnere, leuis aquæ aspersio, peccata purgaret. Adauctum est, superna largitate, collatum beneficium, ut sicut Circumcisione totus populus Iudæorum, ita Christi baptismate, totus saluetur orbis terrarum. Vnde quia non potuit umbra corpore, figura ueritate, aliquo pacto excellentior apparere: necessario uos oportet confiteri, Christianorum paruulos saluari baptismate: cum fateamini, Iudæorum paruulos, saluari Circumcisione. Apoc.iij. Gen.xlix.

Et quia secundum Apostolorum, sine fide, uel in circũcisione, uel in Baptismate, impossibile est placere deo: quoniã iuxta Psalmum tricesimum primum, Omnia opera eius in fide, quia paruulus Iudæorum non potuit saluari fide propria, saluatus est aliena, & quia paruulus Christianorum, non potuit saluari fide propria: saluatur quotidie aliena. Sacramento igitur circumcisionis, & aliena fide saluabatur Iudæus: sacramento baptismi, & aliena fide saluatur, per Christi gratiam, Christianus. Falsum est ergo quid proposuistis: Nec baptismus sine fide propria, nec propria fides sine baptismate saluat. Heb. xi. Saluantur paruuli fide aliena.

Et ut multo aggere sententiarum, nephãda sententia obruatur, audite adhuc Apostolicam tubam, tanto sonitu in clamantem, ut cum in omnem terram sonus eius exierit, ualde sit mirum, si aures uestras præterire potuit. Disputans enim de reatu primi Adæ mundum condemnante, & de iusticia secundi Adæ mundum saluante, ait, inter cætera, in Reprobatio erroris ex Paulo.

Rom.v. Epistola ad Rom̄. Si enim unius delicto mors regnauit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, et iusticiæ accipientes, in uita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius iusticiam, in omnes homines in iustificationem uitæ. Et in Epistola ad Corint. prima. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes uiuificabuntur. Quid nunc? nonne iam obstructum est os loquentium iniqua? An hoc uno & solo Apostolico telo caninum guttur confossum, unq̃ deinceps latrare audebit? Mortem dicit regnasse per unum: accipientes uero abundãtiam gratiæ, in uita regnare per unū Iesum Christum. Per unius hominis delictum, omnes homines cō demnatos: per unius iustitiā omnes homines iustificatos. In Adam oēs mortuos, in Christo oēs uiuificatos. Attendite, et perdētem uos pertinaciam deponite. Omnes dicit: nullum excipit. Vniuersaliter loquitur: non particulariter.

1. Cor. xv.

In Adam omnes mori. Non est hic figura, de qua superius egi: qua totum pro parte accipitur. Quam ut hinc excluderet, similitudinem dedit. Sicut (ait) in omnes homines in condemnationem, sic in omnes homines in iustificationem uitæ. Et sicut omnes moriuntur, ita omnes uiuificabuntur. Vnde iuxta uerbū, et intellectum Apostoli: sicut omnes cōdemnari, sic omnes iustificari: & sicut omnes mori, ita omnes necesse est uiuificari. Cogit enim similitudo, ut quod de damnatis accipitur, hoc de iustificatis accipiatur. Et quod de mortuis creditur, hoc nihilominus de uiuificatis credatur. Sed nec uos præcedentem particulam negatis: omnes scilicet homines absq; ulla exceptione in Adam mori, omnes condēnari. Quod si & secundū uos, & secundū Apl'm, oēs in Adā condēnant,

omnes

omnes moriuntur secundũ eundẽ Apl'm, omnes in Christo iustificantur, omnes uiuificantur. Nam uerum est quod dixit, sicut per unius delictũ in omnes homines, in condemnationem: sic & per unius iustitiam in omnes homines, in iustificationẽ uitæ, et uerũ est quod dixit, sicut in Adã oẽs moriuntur, ita et in Christo oẽs uiuificabunt. Quod si ita est, sicut & per unius delictũ oẽs homines cõdẽnati, ita et paruuli homines cõdẽnati. Et sicut per unius iustitiã oẽs homines iustificati, ita & paruuli homines iustificati. Et sicut in Adã omnes moriuntur, ita paruuli omnes moriuntur, & sicut in Christo omnes uiuificant, ita & paruuli omnes uiuificant.

Hæreticum ergo est & impiũ, excludere baptizatos paruulos a numero saluandorũ. Hæreticũ, quia contra rectam fidem. Impium, quia contra pietatem. Et ne uel paruus insidijs uestris angulus relinquatur, dictum est. Omnes quidẽ paruulos in Adam mori, sed nullos nisi in Christo uiuificari. Neq; enim paruuli Iudæorum, Ethnicorum, uel eorũ qui Christianę dispensationis fidem uel sacramenta contemnũt, saluantur, quia in dãnatione sua remanẽt, non subueniente Christi iusticia, et in morte, non eos resuscitante Christi uita. Quod aperte monstrat quando dicit, per unius iustitiam omnes iustificati, quod apertius tamen dicit, in Christo omnes uiuificari. Cum enim omnes paruuli in Adam condemnentur, nisi in Christo iustificentur, pereunt. Et cum in Adã moriantur, nisi in Christo uiuificentur, nullo modo a morte resurgunt, Non habent ergo iusticiam paruuli, nisi in Christo iustificentur, neq; uitam, nisi in Christo uiuificentur. Sed si sacramentis a Christo institutis, eis subuentum fuerit, iniusti non remanent, quia secundum præmissas autoritates, per unum Christum omnes homines iustificantur, neq; mortui perseuerant, quia in Christo omnes uiuificantur.

Paruulos quoq; in Adam mori et in Christo Viuificari.

uiuificantur. Aut ergo negate hanc condemnationē, & iuſtificationem, mortem, et reſurrectionem omnium hominū eſſe, & excludetis paruulos: aut ſi omnium eſſe conceditis, inter omnes neceſſario admittetis & paruulos.

Specialis mētio de paruulis per Apoſtolum.

Admittetis, inquam, paruulos, quos ut ipſe beatus Apoſtolus inter ſaluandos admitteret, inter damnandos primo conſtituit. Sic enim decebat, ut propheticum Apoſtolum, etiam poſt tanta tempora naſcitura hæreſis non lateret, cā. non tantum communibus iaculis, ſed & ſingulari ſpiculo terebraret. Nam ſic ait. Regnauit mors ab Adam uſq; ad Moyſen, etiam in eos qui nō peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Qui ſunt qui non peccauerunt? Nonne de ipſis paruulis ait ſermo diuinus. Non eſt ſuper terram ſine peccato, nec infans unius diei? Nonne & ab ore magni illius hominis, in ora omnium Chriſtianorum deriuatum eſt. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, et in peccatis concepit me mater mea: Et quid neceſſe eſt, rē patentem multis teſtimonijs cingere?

Rom. v.

Pſalm. l.

Peccatum Originale.

Vtiq; nullus abſq; peccato, ſi nec infans unius diei abſq; peccato, nec in ipſo matris utero, cōceptus infans abſq; peccato. Nam cum dicit: in iniquitatibus conceptus ſum: non ſolum iniquitatem parentum concipientium notat, ſed & concepti peccatum, a parentibus tractum, pœnitendo commemorat. Nec enim inde ſibi miſereri deum rogaret, ubi peccati miſeriam nō recognoſceret. Ergo cum nullus abſq; peccato eſſe poſſit, actuale autem peccatū, in paruulis inueniri non poſſit: quoniam omnis quicunq; peccat, aut originaliter aut actualiter peccat. Paruuli qui actualiter peccare non potuerunt, utiq; originaliter peccauerunt. De illis ergo dictum eſt. Regnauit mors ab Adam uſq; ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt, hoc eſt, qui non peccauerūt

peccato-

peccato actuali, sed peccauerunt peccato originali. Hanc originem a primo homine tractam, & in omnes homines transfusam docet: cum subdit. In similitudinem præuaricationis Adam. Non enim propria præuaricatio paruulos reos facit, sicut ipsum præuaricatorem Adam, sed similitudo præuaricationis Adæ.

Quia igitur regnat mors etiam in paruulos qui non peccauerunt, dic sancte Apostole, utrum hi paruuli in regno mortis sint perpetuo permansuri, an inde aliquo alicuius suffragio eruendi? Nam cum loquereris de damnatione omnium hominum, non sine causa, addidisti, etiam damnationem paruulorum hominum. Ego (inquit Apostolus) idcirco tam magnos quam paruos homines ostendo in Adam impios, ut in Christo ostendam iustificatos. Ostendo in Adam damnatos, ut in Christo ostendam saluatos. Ostendo in Adam mortuos, ut in Christo ostendam uiuificatos. Ostendo damna pristina per Christum non solum reparata, sed & superabundante gratia, etiam beneficia adaucta. Non enim sicut delictum, ita & donũ. Si enim unius delicto, multi mortui sunt, multo magis gratia & donũ dei, in gratia unius hominis Iesu Christi, in plures abundauit. Et non sicut per unum peccatum, ita & donum. Nam iudiciũ ex uno, in condemnationem, gratia autẽ ex multis delictis, in iustificationẽ. Et ne sigillatim hæc Apostolica uerba discutiens, legentibus plus iusto prolixior esse uidear, breuiter dico, hanc summam Apostolicorum esse uerborum, magis scilicet abundasse Christi gratiam ad saluandum, q̃ peccatum Adæ abundauerit ad damnandum. Illius enim culpa, totam stirpis suæ propaginem, in ipsa radice corrupit, & uniuersam simul humani generis massam, originali tantum modo uulnere strauit. Christi autem iustitia, donũ, & gratia, non

Expositio uerborum Pauli.

Ro. v.

Augustinus Epistola. 59

tia,non ſolum ab illa originali,quę ſic uocatur,peſte,qua ille mundũ infecerat,ſed et ab omnibus peccatis actualibus,quę mundus addiderat,ſaluauit. Ea de cauſa, Apoſtolus paruulorum qui non peccauerunt mentionem facit, & eos maſſæ peccatrici admiſcet: ut qui inter damnatos per Adam numerantur, inter ſaluatos quoq; per Chriſtum pariter reputentur. Et cum ſuperabundans ſaluatrix gratia, non ſolum originalia mundi mala remiſerit, ſed etiam actualia indulſerit: quisquis Apoſtolum legit, intelligat paruulos ſimplici uinculo aſtrictos, inſolubiles nõ manere: cũ duplicis culpę catena, cęteros nõ potuerit retinere. Hoc mundus diſcat, hoc hæreticus ſapiat, hoc Catholicus recognoſcat: a ſaluatoris populo, q̃ ſaluat populũ ſuũ a peccatis eorũ, ipſa ratiõe cogẽte, paruulos peccatores non poſſe excludi: cũ infra ampliſſimũ eius miſericordię ſinũ, meruerint etiã magni peccatores admitti.

Mat. 1.

Impietas hæreticorum in paruulos.

Et, o quanta diuerſitas inter benignitatem, & malitiam, inter pietatem, & impietatem, inter Chriſtum, benigne paruulos ſuſcipientem, & hęreticos, impie paruulos repellentes. Fecerunt olim non quidem tale quid, ſed ſimile quid: paruulos a Chriſto repellendo, Chriſti diſcipuli, ſed ne facerent, ſunt a Magiſtro correpti. Offerebant (ait Euangelium) quidam illi, hoc eſt Chriſto, paruulos, ut tangeret illos. Diſcipuli aũt cõminabantur offerentibus. Nunc aũt domine Ieſu, nũc iam bone magiſter, doce uerbo: immo (ut plus audeam) oſtende exemplo, utrũ paruuli non propria fide ad te uenientes, ſed aliena tibi oblati, a te ſint ſuſcipiendi (ut Eccleſia tua docet) an repellendi (ut nouorum hominum temeritas iubet) Diſcipuli certe tui (ut Euangelium tuum loquitur) comminabantur offerentibus: ſed tu comminantes quomodo accepiſti? Quod cum uideret (inquit) Ieſus, indigne tulit. Quod ergo diſcipuli tui comminabantur paruulos offerentibus,

Mat. 19. & Mar. 10.

rentibus, indigne tulisti: sed quid comminatoribus illis dixisti? Sinite paruulos uenire ad me, & ne prohibueritis eos. Talium est enim regnū cœlorum: hoc est quod dixisti. Sed quid fecisti? Complexans (inquit Euangelium) eos, idest paruulos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. Quid uos ad ista, crudeles paruulorum expulsatores dicetis? Ecce quia a se repellabantur paruuli, indigne tulit Iesus, ut sinerentur paruuli uenire ad se, & non prohiberentur, præcepit Iesus: talium esse regnum cœlorum dixit Iesus. Complexabat eos Iesus, imponebat manus suas super eos Iesus, benedicebat eos Iesus. Nunquid ultra innocentiam puerilem, non uirili constantia, sed pertinaci malitia, a Christo repellere audebitis? Nunquid ab amplexante paruulos Christo, ab imponente supra paruulos manus Christo, a benedicente paruulis Christo, inuito ipso Christo, paruulos auelletis? Videat Ecclesia, iudicet orbis terrarum, quibus magis obserandum sit regnū cœlorum: uobis, qui contradicitis uerbis regis cœlorum, an paruulis, de quibus ipse rex ait; Talium est enim Regnum cœlorum.

CONTRA RELIQVA capitula Petrobrusianorum.

SI de his satis est, ad sequentia nephandi Euangelij secundum uos iam ueniatur, & qualiter optimi Christiani Christi sui Ecclesiam ędificare studeant, uideatur. Vos enim non tantū fidē Ecclesię illesam esse non sinitis, sed ipsa quoque ædificia suffodere laboratis. Et cum Christus dicat, Super petram ædificabo ecclesiam meam, & Petrus, Et uos tanquam lapides uiui superædificamini, & Paulus. Sicut sapiens architectus fundamentum posui, & Dauid, fundamenta, Mat. 16. 1. Petr. 2. 1. Cor. 3. Psal. 86.

eius in montibus ſanctis, & mille talia, uos, & tantorum opificum ſpiritualia opera, & ipſorum latomorum ſudore elaboratos parietes, pari ruina, unoq; uirtutis ueſtræ impulſu, ſimul ſubruere conamini. Nam nec fidem Eccleſiæ (ut dixi) illeſum, nec muros integros, diu tolerare poteſtis.

Secundus error impugnandus. Prædicatis enim templa ſuperfluo fabricari, cum Eccleſia dei, non conſtet multitudine ſibi cohęrentium lapidum, ſed unitate congregatorum fidelium. Tertius error. Dicitis crucem domini honorandam, uel adorandam non eſſe, quoniam ſpecies, quę dominicorum cruciatuum, & mortis inſtrumentũ fuit: abijcienda igitur non ueneranda, ignibus concremanda, non ſtultis ſupplicationibus, res inſenſibilis inuocanda eſt. Quartus error. Aſſeritis, Corpus domini in ſacramento altaris, Eccleſiam non habere, & quicquid in eo a ſacerdotibus fit, inane prorſus, & abſq; aliquo ueritatis effectu, quoniam Chriſtus non futuris Chriſtianis ſemper, ſed præſentibus tantũ diſcipulis, illud ſemel dederit. Quintus error. Affirmatis uanum eſſe orare, uel quicq̃ boni facere pro defunctis, quia eos uiuorum bona iuuare non poſſunt, qui totum meritum ſuum, cui nil addi poſſit, ſecum, quando hinc tranſiere, tulerunt. Sextus error. Additis, irrideri deum cantibus eccleſiaſticis, q̃m qui ſolis ſanctis affectibus delectatur, nec altis uocibus aduocari, nec muſicis modulis poteſt mulceri. Currat ergo iuuante deo ſtylus per ſingula, & eo quo propoſita ſunt ordine, ſigillatim cuncta diſcutiat. Agnoſcetis uos, oſtenſis autoritatibus (ſi quidem reſipiſcere potueritis) aut nimiũ cæcos, qui tantam lucem uidere, aut nimium ſtultos, qui tam aperta intelligere, aut nimium pertinaces fuiſſe, qui tantis teſtibus credere non potuiſtis.

CONTRA ID QVOD DIcunt, Baſilicas uel altaria fieri non debere.

Eccleſiam

ECclesiam dei unitate fidelium congregatorum constare, & uos (ut audio) dicitis: & omnibus clarum est. Locorum autem sacrorum ædificia fieri non debere, & facta subrui oportere, uos quidem affirmatis: sed nos, toto mundo nobis adiuncto, contradicimus. Et ne putetis terrore magni nominis ueritati, si qua apud uos est, me uim inferre conari, audite cui maxime Christiãa subdi colla oportet, autoritatem.

Vt igitur ea, qua sacra scriptura edita est, serie, testimonia proferantur: Nõe post diluuiũ ædificasse altare domino, ac super illud obtulisse sacrificium: deumq; odoratum odorem suauitatis, Abraham, quando præcipiente deo, Isaac filium suum immolare uoluit, altare prius construxisse, ac desuper ligna composuisse. Iacob erexisse lapidem in titulum, & fudisse oleum de super, ac dixisse: Vere dominus est in loco isto: & non est hic aliud, nisi domus dei, & porta cœli: Genesis in diuinarum literarum primordio narrat. Exodus quoq;, ne exercitui dei sacer locus ad orandum uel sacrificandũ deesset, quod solum in procinctu constitutis congruere poterat, tabernaculum portatile, ex multis speciebus, diuino præcepto, a Moyse compositum, & a deo, etiam uisibiliter, consecratum memorat. Postq̃ uero terra Chanaan, & aliarum gentium, hostibus extinctis, ab Hebræis possessa est, cum innumeris abundarent ciuitatibus & castellis, non nisi primũ in Silo, ad ultimum in Hierusalem, ad orandum uel sacrificandum, dei præcepto, conuenire poterant. In quibus tantũ locis (testante scriptura) tabernaculum pellium & cortinarum mansit, quousq; templum lapideum ei successit.

Exempla Ve. Test. de altaribus

Gen. viij.

Gen. xxij.

Gen. xxviij.

Exod. xl.

Quod cum ædificare Dauid rex cogitasset, contra hunc uestrum (nostris diebus exortum) errorem, ante tot sæcula disputans, deus. Quia hoc (inquit) cogitasti, benefecisti, hoc

Exemplum Dauid de templo.

2.Reg.6. ipsum mente pertractans. Sed non tu ædificabis mihi domum, quia uir sanguinum es: sed filius qui egredietur de utero tuo, ille ædificabit mihi domum. Bene (ait) fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Quid ipsum? deo scilicet ædificare templum. Quod si bene fecit Dauid, etiam tantum cogitando ædificare templum deo: male fecistis uos etiam tantũ cogitando destruere templum dei. Si (inquam) bene fecit ille, optando templi dei constructionem: male facitis uos, in corde uersando sacrorum templorum euersionẽ. Quod si malum est, saltem hoc cogitare, quanto magis prędicare? Si malum est cogitare, quanto magis cogitata implere? Si malum est mente de ruina ecclesiarum tractare: quanto magis diruere? Si mala est destructionis cogitatio, quanto peior ipsa destructio?

Hæretici in templa sacrilegi. Mar. xiiij. Quod Christo Iudei pro crimine obiecerunt, hoc Christiani Iudæis peiores, nouo sacrilegio commiserunt. Accusabãt illi falso dixisse dominum, Ego destruam templum hoc manu factum: accusamus nos ueraciter, uos non solum dixisse, sed & scelestis manibus templa domini destruxisse. Non fuit leue, etiam apud iniquos, quęlibet templo dei ruinam minari, quam nostri temporis et nominis homines, Ecclesijs eius non timuerunt inferre. Videte, uidete templi dñi destructores: quid destruendo commisistis, cum ab eius cõstructione inhibitum magnum regem & prophetã Dauid uideatis? Ille, ille certe inhibitus est, de quo diuina uoce dictũ est. Inueni Dauid uirum secundum cor meum: & qui dicere potuit. Ab omni uia mala prohibui pedes meos: & omnem uiam iniquam odio habui: & dilexi mandata tua super aurum & topazion. Quod si tanti uiri manus, ád construendum templum dei, admitti non meruerunt, nunquid manus uestræ ad destruendum impune parare se potuerũt?

Psal. cxviij.

Subleuare

Subleuare uoluit inclinatam arcam dei Oza, & perijt: & uos, toto conatu Ecclesiam dei Israhel subuertere quæritis, & salui eritis? Si occisus est qui sustentabat, nunquid uiuet qui præcipitat? Aduertite studiosi templorum subuersores, quam contrarius uos deo spiritus agat, qui opus eius euertere, qui fabricam, iussu eius erectam, conamini destruere. Iussu autem eius erectam prioris templi fabricam, & supra audistis, & adhuc recolite. Non tu (ait deus ad Dauid) ædificabis mihi domum, sed filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo.

2. Reg. vi.

2. Reg. 7.
1. Para. 17.

Et ne puteris solius constructionis deum fuisse auctorē, uidete sanctificatorem. Perfecto enim Templo cum multiformi ornatu a Salomone, & inducta Arca dei a sacerdotibus in locum suum: ait eadem uerax scriptura. Factum est, cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula impleuit domum dei. Et non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam. Impleuerat enim gloria domini domum domini. Tunc ait Salomon. Dominus dixit ut habitaret in nebula. Et, ut sanctificati a deo templi ipso teste utamini, audite eum apparentem Salomoni ac dicentem. Exaudiui orationem, & deprecationem tuam, qua deprecatus es coram me. Sanctificaui domum hanc, quam ædificasti: ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erūt oculi mei, & cor meum ibi cūctis diebus. Iudicate ergo, cui magis credendum sit, deo templi sui constructionem præcipienti, an uobis destructionem suadentibus, deo consecrāti, an uobis prophanantibus: deo congruum locum ad preces & sacrificia designanti, an uobis, absq; templis & sacrificijs Christianos esse iubentibus?

Deus Templi sanctificator.

3. Reg. viij.

Vere antiqui erroris, noui reperatores: qui deum non in templo

Antiquus error eorū qui templa contemnunt.

tēplo suo, sed Baal in omni colle excelso, & sub omni ligno frondoso coli præcipitis: cum agros & nemora, sanctificatis ab eo locis, præponitis. Qui, quantum hoc ei contrariū esset

Deut. 17. ostendens, non nisi in loco, quem se ad hoc elegisse dixit, sa-

Exo. 23. crificia offerri uoluit, In quo, ter in anno, totius gentis conuentus fieri mandauit: ubi & deum adorarent, & uota soluerent, & quæ de lege dicenda erant, audirent. Et quamuis, secundum Salomonis orationem, deus domo nō egeat, quē coelum & coeli coelorum capere non possunt, & iuxta Psal

Psal. cij. mum Dauid dicentis, In omni loco dominationis eius, benedic anima mea domino, ubiq; adorandus sit: in tantū tamen singulare uoluit habere priuilegium, domum sibi singulariter dedicatam, ut ibi precantibus populis gratiam maiorem infunderet, & preces efficacius exaudiret. Vnde ad commendandam gratiam & dignitatem noui Christianorum sacrificij (quod dum animales & superbi fueritis, non capietis) non nisi in loco illo ad hoc (ut dixi) electo, sacrificia fieri permisit: intantum, ut pro magno delicto imputet scriptura, etiam bonis & laudatis regibus Iudæ, quod cum idola, et eorum cultum omnino in regno proprio annullassent, in excelsis tamē, in alijs scilicet locis quam templo, subiectū populum, non quidem idolis, sed deo ipsi sacrificare permisissent.

Locus templi religiose habendus. Inde culpans unumquemq; eorum scriptura, dicit. Verū tamen excelsa non abstulit, Adhuc populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis. Sic non cultum, sed locum culturæ culpando ostendit scriptura, noluisse deum passim ubiq; sacra illius temporis celebrari, quibus & certos ministros deputare, & certum locum uoluit dedicare. Ad hunc Iudæi omnes, multiq; Gentilium, ad hunc magni reges & Prophetæ, uel iussas hostias, uel uota de propria oblaturi ueniebant.

ueniebant. Ad quem utrum rex Ezechias, post ægritudinem esset ascensurus, inuisam sæculis omnibus Solis retrocessionem, a deo per prophetam Esaiam, in signum accepit. Hunc a rege Chaldeorū destructum principes Zorobabel & Salathiel, sacerdotes Esdras, & Iesus, prophetæ Aggeus, & Zacharias repararunt: rursumq; ab Antiocho prophanatum, Machabæi sanctificarunt. In hoc, finis legis, & initium Euangelij, Christus, puer adhuc a parentibus oblatus, ritum omnem impleuit: & quid reuerentiæ sacris locis debeatur, prius tacens exemplo, quā docens uerbo clamauit. Et ne in aliam partem pertinacia qua cœpistis, etiam istud interpretari uelitis, legite Euangelium, & uidere quotiens in Pasca, in Scenopegijs, in Encœniorum solennitate, Hierosolymam ueniens in templum ascenderit, qualiter ib uerbum uitæ (quod ipse erat) populis palam prædicauerit, sedens iuxta gazophylatium, offerentes deo munera, & maxime uiduam laudauerit, offerri munus quod præceperat Moyses, curato a se leproso præceperit, accedentes ad se in Templo cæcos, & claudos, locum diuinis miraculis honorando, curauerit. Recolite & illud, quo solo, uelut ariete, tota insani dogmatis uestri machina subuertitur. Illud, inquam, recolite, quid iam proximus passioni fecerit, quando facto flagello de funiculis, uendentes, & ementes de templo eiecit, cathedras uendentium columbas, euertit, & * Deuteronomij assumpto testimonio, increpans dixit. Scriptū est. Domus mea domus orationis uocabitur. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

4 Reg. 20. & Esa 38. 1 Esdr. 2. Mac. 10. & Luc. 2. 1. Mar. 12. & Luc. 21. Mat. 8. Mat. 21. Mar. 11. & Luc. 19. Esa. 56. Hie. 7. * Esaiæ

Increpatio hæreticorū.

Ad quid tot ista? ut tandem pudeat uos stultissimi erroris, quem nec Iudæus, nec Paganus, nec Christianus alter (præter uos) inuenire potuit. Vult enim omnis religio locum ubi sacra sua uenerari, & ubi familiarius institutis suis

tis suis ualeat deseruire. Hinc Iudæi, in templo dei: hinc pagani, in Phanis (licet prophanis) tantum hostias immolabant. Hinc Christiani usque ad uestra tempora, a deo institutas, quas subuertere quæritis, Ecclesias habebant. Quocirca dum in his permanseritis, merito extra numerum omnium hominum eritis, qui in his, legibus omnium repugnatis: & expulsi a fidelibus, nec apud infideles latibulum inuenietis. Redite ergo præuaricatores ad cor, & qui diu desipuistis, iam tandem sapere incipite. Videte deum templi sui fabricam erigentem, erectam sanctificantem, prophetas diruta restaurantes, restaurata consecrantes, Christum ipsum templi dominum, templum cœlesti uerbo, & sublimibus miraculis honorantem: negotiatores de illo, uerbis, & uerberibus eliminantem: domum dei, domum patris sui, domum orationis esse, dicentem. Nolite ultra destruere, quod deum ædificare cernitis: nolite prophanare, quod eum dedicare uidetis: nolite contemnere, quod eum honorare conspicitis. Intelligete deum Christianorum, deum fuisse Iudæorum: qui sicut tunc sine templo esse noluit, ita nunc sine Ecclesijs esse non uult.

Esa. xlvi.

Cur unum solum erat templum Iudæorũ nunc uero multa Christianorum.

Quod si quæritis, quare tunc non nisi unum a Iudæis, nunc uero multa sibi a Christianis fieri templa uelit? patet ratio: quia uni, & circumpositæ genti, templum unum de proximo sufficiebat: & ne dæmonum sacrificijs, quæ ubique fiebant, paulatim illectus iungeretur, prono ad idololatriam populo prospiciebat. Est & illud sublimius (si tamen Iudaizando figuras non abijcitis) quod illo uno templo, una Ecclesia: illius unius templi sacrificijs, unicum Ecclesiæ sacrificium designabatur. Quod cum sit, remota ueteri multiplicitate, unum, non nisi in una Christi Ecclesia fieri potest: quoniam locus ueri sacrificij extra catholicam

tholicam ecclesiam non est, quia unus dominus, una fides, unum Baptisma, una Ecclesia, una hostia. Hæ sunt causæ quæ ad præsens occurrere potuerunt, cur uno tantum templo a Iudæis colebatur, qui a Christianis nunc innumeris (quantum ad ędificia pertinet) ecclesijs honoratur. Quę si sufficiunt, bene. Si non, aperiat uobis sensum intelligendi scripturas, ut agnoscatis secundum Apostolum, omnia illis in figura contigisse, & scripta esse ad correctionem nostram quæ sicut multos a suis erroribus correxerunt, utinam & uos a uestris corrigere possint. Ephe. 4. 1. Cor. 10.

Cur uero post illam iudaici Templi unitatem, hæc Christianarum Ecclesiarum multiplicitas orta sit, ex supradictis lucide demonstratur. Vnum enim templum, quod uni populo sufficiebat, uniuerso iam mundo sufficere non potest. Impletum namque est, quod Ecclesiæ per Esaiam dictum est. Ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Dilata locum tentorij tui. Dilataberis ad orientem, & occidentem, ad Aquilonem, & ad Austrum. Inde & Malachias. Non est mihi (ait dominus) uoluntas in uobis, neque accipiam sacrificium de manibus uestris. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomē meū in gētibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda. Quam prophetę sententiam ad unguem exequens dominus, ait Samaritanæ in Euangelio. Mulier, uenit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Et post quædam. Venit hora, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & ueritate. Quid clarius, quid manifestius, quid apertius requiritis? Ecce in Iudæorum reprobatione, & Gentilium electione, sacrorum (de quibus agitur) locorum quæstio soluitur, & quod uni sacrificiorum tem-

Cur multæ sunt apud Christianos Ecclesiæ. Esa. 54. Malach. 1. Ioan. 4.

plo, multa oblationum loca, succedere debeant, euidenter monstratur.

Consonantia uerborū Malachię & Christi.

Et o in diuersis temporibus mirabiliter consonans Prophetæ Christique præsagium. Quod enim ille ait. Non accipiam sacrificium de manibus uestris, hoc iste. Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Et quod ille, In omni loco offertur nomini meo oblatio munda, hoc iste. Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & ueritate. Ecce hora de qua dominus dixerat, ueniet hora, quando (sicut oculis cerminus) neque Iudæi Hierosolymis, neque Samaritæ in monte suo, quæ tantum loca sacra putabant, ritu antiquo adorant, quia non accipitur a deo sacrificium umbratile, succedente ueritate, nec necessarius est agnus, aries, aut uitulus, cum pro omnibus unus sufficiat immolatus Christus. Hoc certe est tempus, quando ueri adoratores adorant patrem in spiritu, & ueritate, quando non in uno tantum, sed in omni loco offertur nomini eius oblatio munda. Quę q̄a munda est, oportet, & loca in quibus offertur, mundari. Quod tunc fit, cum spiritu sanctificationis per humanum ministerium sanctificantur loca, ac de communibus fiunt diuina, & inuocato nomine domini, eius solum ibi habitatio præparat̄, cuius singularis essentia consortem habere non patitur. Mundantur ergo prius loca, & sic in mundatis locis offertur nomini eius oblatio munda. Sic, in hoc tempore Christianæ gratiæ, secundum hanc propheticam uocem, in omni loco offertur nomini eius oblatio munda, & non nisi in certis sanctificatisque locis, offertur illa oblatio. Cum enim de utriusque Testamenti sacrificio agens Apostolus dicat, necesse est, exemplaria quidem uerorum his mundari, ipsa uero cœlestia melioribus hostijs quam istis,

Sacrificium Ecclesiæ.

Munda templa per dedicationem.

Hel. 9.

istis: quis sani capitis uel suspicari possit, inferiores hostias, quibus exemplaria uerorum mundantur, non nisi in sacris locis: meliores uero hostias, quibus ipsa cœlestia mundātur, passim in non sacris licere offerri? Ibi bos, non nisi in sacro templo mactatur, & hic agnus dei, in nemore uel agro, domo uel foro, stabulo uel taberna immolabitur? Ibi, ad pecudum cruorem effundendum, tanta cura tabernaculum, uel templum iussu dei construitur, ornatur, consecratur: & sanguis Iesu Christi qui (ut ait Ioannes Apostolus) dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo, nec apud redemptos locum merebitur? Præparat ingēti cura seruilibus sacrificijs templū Iudæus: & non parabit liberatrici hostiæ, Ecclesiam Christianus? Damnatur ibi qui extra designatū locum, uel deo obtulerit sacrificium: & impunitus esse poterit, qui in loco alieno, finem omnium sacrificiorum immolauerit Christum? Apoc. i. Hostia liberatrix.

Sed scio (ut supra dixi) quia & hoc nostrum sacrificium contemnitis, & prorsus nunc in Ecclesia esse negatis. Contra quam hæresim me superius agere promisi: & suo loco, deo adiuuante promissa exequar. Interim, & si non ad sacrificandum, adorandum tamen templa uel ecclesias fieri debere, negare non potestis: cum & in Pentatheuco, & in Euangelio, hoc est, in ueteri testamento, & nouo audiatis dominum dicentem. Domus mea domus orationis est. In qua domo constitutus, Matri se quærenti & conquerenti, respōdit. Nesciebatis quia ī his q̄ patris mei sunt, oportet me esse? Qui & duos homines ascendisse in templum ut orarent, & unum exauditum, alterum reprobatum, narrat. Et Lucas Euangelista, Annam usq; ad annos octoginta quatuor uiduam, in templo, ieiunijs et oratiōibus nocte ac die seruijsse commemorat. Agnoscite ergo saltem domum orationum, Templa domus orationis sunt. Esa. lvi. Mat. xxi. & Luc. xix. Luc. ij. Luc. xviij. Luc. ij.

ut postea cognoscatis et sacrificiorum. Quod si de his etiam Apostolicum testimoniũ quaeritis, audite Ioannem scribẽtem septem Ecclesijs, quae sunt in Asia: & Lucam in actibus Apostolorum, sicut incrementa ecclesiae, sic & nomen Ecclesiae celebrantẽ. Qui etiam in Euangelio testatur Apostolos post ascensionem domini in templo semper fuisse, laudãtes & benedicentes deũ. Petrum quoq; & Ioannem in actibus Apostolorum ad horam orationis nonam, non forum petentes, sed in templum ascendentes.

Luc. ult.

Act. iij.

Recolite etiam Epistolas Apostolorum, & ipsius Pauli, diuersis ecclesijs missas. Si uero appellatione ecclesiarum spiritualem magis fidelium cõgregationem, q̃ corporalẽ structuram significari dixeritis, uidete quid Paulus Corinthios corripiens dicat. Conuenientibus (inquit) uobis in ecclesia, audio scissuras esse, & ex parte credo. Et post pauca. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut ecclesiam dei contemnitis? Quidam enim Corinthiorũ escas suas, quibus domi uesci potuissent, ad ecclesiã deferebant: & ubi dominicam tantum cœnam commedere debebant, domesticos cibos edebãt: & ditiores, qui sibi parare poterant, pauperibus, qui non poterant, pudorẽ inferebant. Et rursum Apostolus. Conuenientibus (inquit) uobis in unũ, iam non est dominicam cœnam manducare. Vnusquisq; enim suam cœnam praesumit ad manducãdum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Ecce non tantum conuentus ecclesiae, sed & structura ecclesiae his uerbis aperte monstratur. Locus plane ad conueniendum certus & sacratus monstratur: in quo dominicam solummodo cœnam licere manducare, Apostolus dicit: et a quo Corinthiorum cœnas siue conuiuia duris increpationib. repellit. Inde illos de scismate arguit: inde Ecclesiae dei contemptores, inde praesumptores

Ecclesia nõ solum congregatio fidelium sed etiã structura dicitur.

1. Cor. xi.

ptores uocat. Vnde & epulones illos ad domos proprias remittit, cum dicit. Nunquid non domos habetis ad manducandum & bibendum? ut scilicet in suis domibus, illis cibis utantur, quibus absq; reatu in domo dei uti non poterãt. Docet summus post Christũ ecclesiæ Magister, domorũ & domorum distantiã: & quid domui diuinæ, quid humanę conueniat more suo lucide manifestat. Nõ patitur crimina carnis in domo spiritus celebrari: sed uult Christianos in domibus suis communes cibos edere, in domo aũt dñi, dominicã tantũ cœnam manducare. Instruit eos, ut sicut in illis uictũ corporis, sic in ista uictum animæ quærere discant: & sicut in illis uitam mortalem, sic in ista uitam sibi prouideãt sempiternã. Imitatus est magistrũ discipulus Christũ, in quo loquebatur Christus: & sicut ille templũ dei noluit esse domũ negotiationis, sic iste Ecclesiam dei non est passus fieri domum comestionis. Sic ille negotiatores, hic repellens comestores: docent & sacra fuisse loca illa, in quibus nec uitæ humanæ necessaria exercere licebat, et semper Christianis talia prouidenda, in quibus solum orationis negotium fiat, & in quibus dominicam tantum cœnam manducare liceat.

Iam si cũ Christianis mihi sermo est, Christo & eius Apostolos credere oportebit, & sacrorũ ædificiorũ, non iã ruinam, sed ædificationẽ, nõ detrimẽta, sed incremẽta quærere, autoritas inuicta compellet. Insulsa sane et bestialis hæresis, unde exoriri potuerit, nõ satis mirari sufficio. Ita enim omni autoritate uel ratione destituitur, ut nisi simplicium animarum periculum cogeret, contra tam uiles nenias, uel os operire, animus nausearet. Quid enim? Nunquid per uiginti quinq; annos, quibus Romæ Petrus Apostolus sedit, absq; templo uel ecclesia, idest orationis domo, uel paruo saltem oratorio fuit? Nonne ut gestorum ueracium series narrat

Insulsa & bestialis hæresis.

Petrus Romæ 25. annis

narrat (si tamen prçter diuinum Canonem gestis aliquibus assensum datis) primus ipse princeps Apostolorum Petrus, in Vrbe, orbis capite, templum Christo inter innumera gentilium templa construxit: & iuxta quod beatus et magnus papa Leo, nobili sermone pronunciat, trophæū crucis Christi, Romanis arcibus inuexit? Nonne et nosipsi Romç positi, frequenter uidimus inscriptis antiquissimis oratoria, & altaria, qualia eo tempore fieri poterant: quæ ab eodem Apostolo constructa & sanctificata, sicut per successionem fama consentiens, ac celeberrima protestatur, in monumentum tantæ sanctitatis fidelibus ostenduntur, & ab eisdem fidelibus dulcissime ac deuotissime deosculantur.

Leo. I.

Trophimus Arelatensiū Apostolus.

Nunquid apud Arelaten, quam necdum per dei gratiā uester sordidus error infecit, Pauli Apostoli discipulus Trophimus, de cuius fonte (ut papa Zosimus scribit) omnes Galliæ, fidei riuulos acceperunt, semper in campo aut in foro prædicauit, baptizauit, orauit, & nunq̄ domum orationis uel ipse habuit, uel alios habere instituit? Et unde tot sancti successores eius hoc præsumere ausi sunt, quod ille non docuit, a quo fidei riuulos acceperunt: Sed ut de primis Galliç nostræ Apostolis (quos uestra impia fatuitas & fatua impietas hactenus scire non meruit) aliquid plenius dicam: sicut ipsa testatur antiquitas, & a sanctis uiris nobis relictæ tradunt Historiæ, non solum nos, uerum etiam omnes Christiani populi, pusilli cum maioribus, senes cum iunioribus, uestram insaniam irridentes, certissime tenent, quod Hireneus Lugduni: Crescens Viennæ: Vrsinus Biturigis, Paulus Narbonæ, Saturninus Tolosæ, Austremonius, Aruenis, Martialis Lemouicis, Burdegalæ, & Pictauis, Fronto Petragoris, Eutropius, Xanctonis, Gratianus Turonis, Iulianus Celomannis, Parisij, Dionisius, Senonis, Potentianus

Catologus sanctorum qui construxerunt templa apud Gallias.

& Sauinianus, Beluaci Lucianus. Aeduae Andochius: Lingonis Benignus: & quis omnes gloriosissimos fidei nostrae patres, & Apostolos enumerare sufficiat? Isti certe isti, ubicumque nomen domini annuntiauerunt, statim Idolorum delubra (pro ut phas fuit) euertentes aut nouas Ecclesias fundauerunt, aut ipsa templa in Ecclesias conuerterunt: adeo ut hodieque in plærisque locis, sicut ipsi nostris oculis inspeximus, Ecclesiæ uel Basilicæ ab eis constructæ, altaria manibus eorum fundata, & consecrata, in memoriam Antiquitatis, & sanctitatis eorum, a fidelibus populis reseruata, monstrentur: quamque ridendi, & detestandi sitis omnibus hominibus, quadā uiua uoce loquant̃.

Paulus & alij Apostoli construxerunt templa in Oriente.

Et ut ad Orientem, & cœteras mundi partes transitum faciam, quis Illyricum, Græciam, Scythiam, nisi Paulus & Andreas? quis Asiæ maximas partes, nisi Iohannes, & Philippus? quis Persica regna cum proximis gentibus, nisi Simon, & Iudas? quis Indicas partes, & Solis ortui contiguas terras, nisi Thomas & Bartholomæus? quis totam Aethiopiam, nisi Matthæus, primi, & nouissimi Apostoli Christi, uetustæ superstitionis templa destruentes, nouæ gratiæ Ecclesijs impleuerunt? Ita uniuersi Veteris, & Nouæ legis doctores unanimi studio uobis aduersantur, ut necesse uobis sit, aut tantis testibus adquiescere, aut sine Christo, Prophetis, & Apostolis, Christianos fallaciter permanere.

CONTRA ID QVOD DIcunt Crucem domini nec adorandam, nec uenerandam, sed magis cōfringendam & conculcandam esse.

Impiæ in Cruces contumeliæ.

HInc ad defendendam Crucem domini, contra securres ueſtras, & gladios ſermo feſtinet: licet iam non niſi tardus accedere poſſit. Præueniſtis ſceleſtis operibus celeritatem uerborum, & profundis in religionem odijs (quod uel cogitare ſcelus fuerat) inſigne noſtræ fidei tollere attentaſtis. Quod tunc factum eſt, quando ad inauditam diuinitatis contumeliam; magno de crucibus aggere inſtructo, ignem immiſiſtis, piram feciſtis, carnes coxiſtis, & ipſo paſſionis dominicæ die Paſcalem domini eam præcedente, inuitatis publice ad talem eſum populis, comediſtis. Sic ſacris lignis, ſacrilegos ignes alentes, credo iuxta Prophetam Eſaiam, cum Idololatris, dixiſtis. Vah calefactus ſum, uidi focum. Ita ignibus calefacti, carnibus impinguati, medullatum uos ipſos ſacrificium non deo, ſed diabolo obtuliſtis: & ſicut de præuaricatore populo Moyſes dicit. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit deum factorem ſuum, & receſſit a deo ſalutari ſuo. Receſſiſtis plane & uos, ſi adquieſcere non uultis, Crucem negando, a deo ſalutari ueſtro: a quo nullo pacto ſalutem conſequi poterit, quiſquis Crucem, in qua maxime ſalus eſt conſtituta, contempſerit. Credo, aſtu hæretico hoc uos conſilium inueniſſe: immo nequitiç Principem per proprios uernulas, fallaciæ ſuæ optime prouidiſſe: ut hoc uno iaculo, ſi uulnus incautis infligere poſſet, leui negotio, non tantũ ſoſpitatem, ſed et uitam aufere ualeret.

Sic Euangelici noſtri.

Eſa. 44.

Deute. 32.

Cruce ſublata, crucifixi memoria perit.

Nam ſublato de medio crucis nomine, ubi Crucifixi mentio remanebit? Subtracto Crucifixi uocabulo, ubi mortis uel paſſionis recordatio permanebit? Ablata mortis uel paſſionis memoria, quæ redemptis ſpes ſalutis, euacuato redemptionis precio, ſupererit.

Sed

Sed noui dolere uos uices sociorum, & homines hæreticos, demonum iniurias uelle ulcisci. Fugantur apostatæ spiritus, apparente crucis signo: & superbi angeli, qui contra ipsam inuictam maiestatem caput erigere nisi sunt, isto (quod sic contemnitis) abiectionis indicio, ut nebula matutini Solis radijs discussa, uanescunt. Hac uos permoti iniuria, iurata contra Crucem domini bella suscepistis, & homines nequiores dæmonibus eorum pati dedecora non potestis. Non potestis certe quod odiunt diligere: quibus & in hac uita mores, & in futura ignes, nihil aduersum, nihil diuersum esse designant. Moribus ergo modernis, & ignibus æternis concors parilitas, nil nos mirari faciunt, si & quod uolunt uultis, & quod nolunt, respuitis. Sed quos minamur ignes, forsitan uos non terrent: quoniam iuxta Esaiam, pepigistis fœdus cum morte, & cum inferno fecistis pactum. At secundum eundem, fœdus uestrum cum morte dissipabitur, & pactum uestrum cum inferno non stabit. Nam (ut Poeta ille ait) Nulla fides regni socijs: & ut Christus in Euangelio, Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Vnde quoniam commune cum demonibus regnum delegistis, soluetur cito male parta concordia: & impiorum pax diuturna esse non poterit: quia non est pax, dicit deus meus, impijs. Fiet igitur lignum uitæ, uobis lignum mortis: ut quos semel de eiusdem sacri ligni frustis succendistis focos, uobis perpetui perseuerent, & sicut ipsis uos immortales, sic illi uobis inextinguibiles permanebunt.

Hæretici, socij dæmonum.

Esa. 28.

Mat. 12.

Esaias 48.

Sed ne moram faciam, spiret iam serpens sibila sua, et quibus diu tumet, uenena profundat. Stultum est (inquit) & prophanum adorare uel uenerari Crucem, quia lignum quod Christi membra torsit, magis est conterendum uel combu-

Verba hæreticorum.

Refellitur ratio dicentiũ non esse adorandam crucem, sed conterendam.

burendum, quam uenerandum uel adorandum. O præclara sapientia: oratio de intimis eruta philosophiæ. Non digno supplicio, cruciatus dominicos uindicatis: nec tantum scelus congrua ultione damnatis. Mors domini, non est horario expianda tormento: iniuria conditoris, non nisi pœna perpetua est punienda. Non est necesse, repetitis ictibus retundi secures uestras, nec feriendo membra lassare. Extinguite ignes succensos, congestum aggerem crucium dissipate, est qui ulciscatur iniurias suas. Creator ipse qui passus est, impiam crucem se torquentem torquebit: & cum Herode ac Pilato, Iuda uel Caipha, eam in gehennam retrudet. Erit eis commune supplicium, quibus fuit par reatus: & quia deo simul tormenta intulerunt, pariter in inferno ardebunt. Sic plane, sic iustum est: ut qui de morte dei cœli arguitur, non minore, quam inferni supplicio, puniatur. Hac iusticia, quicquid contumeliæ uel indignitatis deo homini materia fuit, condemnandum est. Inde loca ipsa passionis execranda, Ciuitas euertenda, Sepulchrum eruendum, in quo licet quieuerit, deo tamen sepeliri iniuria extitit. Mors eius insuper detestanda, passio conculcanda, & (ut breuiter multa dicam) tota saluatricis humilitatis dispensatio contemnenda.

Si crux execranda etiã & quæuis loca passionis.

Vt quid sic loquor? ut tanta uobis absurditate obiecta, erubescatis: & nulla pœna uel contumelia dignam esse rem, in qua culpa non potest cadere, cognoscatis. Inesse enim culpa non potest, ubi ratio non est. Ratio uero non nisi in animali est. Sed crux animal non est, unde in ea ratio non est. Et quia in ea ratio non est: neque culpa (ut dixi) est. Quod si culpa nulla in ea est, nec reatus mortis Christi ei imputandus est. Hoc si uerum est, non erat ei, uelut pro pœna culpæ, inferenda contumelia: non

Crux non est capax culpæ, & ideo nec pœnam meretur.

non erat cædenda securibus, non ignibus concremanda. In cruciatibus enim uel morte Saluatoris, praua tantum uolũtas prauorum hominum condemnatur: quia solus creaturę rationalis affectus, creatoris gratia adiutus uel desertus, semper aut remuneratur aut condemnatur. Excusatur ergo hac gemina ratione Crux a reatu cruciatuum: quia ubi sensus nõ fuit, nec assensus criminis esse potuit, & quia reliqua passionis loca ob salutarium pœnarum, quam contrahere non potuerunt, culpam, nec uos ipsi (ut æstimo) nec quilibet iudicat execranda. Male igitur factum est, quando innoxium lignum quasi nephandi sceleris obnoxium, præsumptuosis manibus uestris confractum, male, quando iniustis ignibus combustum est.

Sed uos adhuc. Si quis, o uiri laqueum quo patris guttur fregisset: gladium quo amicum uel fratrem necasset uobis afferens, honorare uel adorare uos illa moneret, nonne in monitorem (si facultas daretur) toto motu animi insurgeretis? nonne oblata aut flammis absumeretis, aut quo fieri possit modo, pessundaretis? Ista cum in Capitolio senatorum, quales uos aggregare soletis, de consulari uel regio Tribunali, declamatorio ore, gestuq; terribili uobis proferre moris sit: adducto statim in sententiam uestram eruditissimorũ illorum conuentu: inuictæ orationi subito acclamatur, altis omnes uocibus cognitæ tandem ꝑ uos ueritati adgaudent, conflantur immensa in crucem odia, ad uindicanda crucifixi tormenta: contra crucem gladijs & ignibus uniuersi armantur.

Secunda ratio seu persuasio hæreticorum.

Ironia.

Et quis unquam præter uos, o Asinina stoliditas, paternam nec em uel fraternum sanguinem a laqueis uel gladijs, & non magis a suspensoribus uel necatoribus exegit? Quis unquam præter uos, in uindictam sanguinis, Laqueos cõ-

Confutatio prædictæ suasionis.

buſſit, gladios confregit? Quis unquam præter uos, peremptorijs inſtrumentis, & non potius perimentibus impijs iratus eſt? Quis unquam præter uos aduerſus arma, & non magis aduerſus armatos armatus eſt? O tempora: o mores, qui talia uel audire poteſtis. Indignabor, proſtrato exercitu, contra tela inimicorū: & perempto patre, aduerſus gladios bella ſuſcipiam. Iraſcar occiſo fratre, telo perimenti: & ſuſpenſo amico, in laqueum ſtomachum commouebo. Luent facta inimicorum, res innocuæ: & pro ſceleribus impiorum, innocens creatura damnabitur. Et inferetur pœna nō ſentienti: & brutæ rei contumelia irrogabitur. Deſſecabitur illa gladijs, nec dolebit: comburetur ignibus, nec curabit: deformabitur ludibrijs, nec erubeſcet. Paſcetur his tormentis inimicus animus: & egregia uindicta ſatiatus, a furore concepto paulatim detumeſcet. Exardeſcet odium noſtrū contra gladios hoſtiū: & adepta uictoria, ſicut hoſtes perimi: ſic iſtos, neceſſe erit confringi.

Alias e diſſecabitur.

Non ſic (ut aliquid autoritatis addam) non ſic famoſus ille pugnator Dauid fecit. Non (inquam) execratus eſt, uel cō fregit Goliæ gentilis gladium, quem aduerſum ſe ille produxerat, quo elatus, agminib. Iſrahel exprobrauerat, acies dei uiuentis blaſphemauerat: ſed eo armatus, & tunc caput inimicum abſtulit: & poſt, eundem de ſanctuario a ſacerdote accepit. Qui nec inter ſacra reponeretur, nec a Propheta in uſum bellandi acciperetur, ſi iuxta ueſtram ſapientiam, execrandus uel confringēdus iudicaretur, nec diceretur de illo: Da mihi illum: non enim eſt hic alius ſimilis illi.

Gladius Goliæ. 1. Reg. xvij. 1. Reg. xxi.

Sed & de Iuda Machabæo, optimo Hebræorum duce, uerax ſcriptura commemorat, quod deleto Pagano exercitu, gladium Appollonij ducis a ſe interfecti abſtulit: & erat pugnans in eo omnibus diebus. Sic certe Chriſtus, o hæreticd,

1. Macha 3. Chriſti Triumphus per crucem de Diabolo.

tici, sic plane Christus, cruce sua cõtra mundi principẽ usus est. Produxit ille, procedens ad singulare certamen contra Christũ, crucem domini, qua eum occideret: sed diabolico astu, diuina sapiẽtia permutato, Cruce qua eum appetijt, eadem excruciatus est, & morte qua eum extinxit, eadem ipse occisus est. Tunc impletũ est quod in Psalmo, quondã presbyteri, sæpe cantastis. Cõuertetur dolor eius in caput eius: et in uerticem ipsius iniquitas eius descẽdet. Sed liceat & mihi in cõuentũ uestrũ illũ intrare, & plebeculæ a uobis deceptę, iuxta deceptoriũ idioma locutionis uestræ, pauca ꝓponere. Psal. vij.

Si quis, o uiri, laqueum uel gladium præ manibus habẽs uobis diceret. Ecce laqueus quo suspensor patris uestri suspẽsus est: ecce gladius, quo necator fratris uestri uel amici charissimi necatus est: confringite, cõburite, dissipate, quid uos? Nunquid ista suadẽti crederetis? nõne huiusmodi hominẽ aut insanire, aut inimico animo agi iudicaretis, qui uos & insensibilia torquere, & in res uiolatæ pietatis uindices exardescere admoneret? Sic isti non ueritatis sed erroris, non salutis sed perditionis uestræ magistri faciunt: qui crucem domini per quam ille, qui secundum Euangelium, cui se credere dicunt, homicida erat ab initio, peremptus est: uos confringere, comburere, & perdere persuadent. Sic uere isti faciunt, qui patrũ uestrorũ, qui uestri, qui ipsius Christi quantum ad corpus, interfectorem diabolum ulcisci cupiunt (ut ipsi fatentur) dum crucem, per quam maxime ille perijt, tantopere perire concupiscunt: cum instrumentum, quo ad salutem uestram Saluator usus est, ipsa cogente ratione, magis suscipiendum ꝙ cõfringendum, uenerandum quam comburendum, exterminare contendunt. Et, o iustitia, rem (ut dixi) absq; reatu damnare: o ultio, rem insensibilem tormentis subijcere, effundere furorem in

Retorquetur suasio in hæreticos.

Ioan. viij.

truncum

truncum aridum: & in lignum nil sentiens nephanda odia exhaurire.

Stulta ratio uindicandi in Instrumēta pœnarū.

Ista ratione, nimium Christo fideles Christiani, contra Cruces Petri & Andreæ zeli gladio accingentur. Craticula Laurētij licet ferrea, suis ignibus comburetur. Lapides Stephani in calcem conuertentur, aculei, laminæ, ungulæ, flagella, catenæ, uincula, carceres, compedes martyrum: ne q̄d fecerunt, ab istis patiantur, fuga celeri euanescent. Hac lege quæcunq; molesta sunt humano corpori, humanis odijs digna erunt: infestas inimicorum manus, ubi occurrerint, nō euadent. Tali modo aduersus ignem urentem, aërem corrumpentem, aquam suffocantem, terram collidentem, nostra indignatio succendetur, solem æstate feruentem, gelu hyeme torquens abominabitur. Et quia nihil corporeum est, quod non misero homini, reatu suo quolibet modo uertatur in pœnam, totus homo, contra totum mundum, omni annisu consurget, & totis uiribus, ubi facultas data fuerit, habitaculum suum ipse habitator destruet.

Nota de Cyro rege qui in Gangem ultus est.

Sed forte uos animosam Cyri regis arrogantiam æmulati, imitari proposuistis, qui absorptum maximo flumine (qui Ganges dicitur) dilectum equitem ulcisci cupiens, exarsit in flumen, & peruium se peditibus facturum comminans, impleuit promissa. In trecentos enim, & eo amplius alueos tumentes undarum moles dispartiens, superbiam fluminis superbus imminuit, Et per plures tramites, unius magnitudinem deriuans, Naualem uix pompam dignantem, siccis (ut dixerat) pedibus fluuium meabilem fecit. Sed ille licet insano zelo mortem militis sui uindicare uoluerit, tamē ne & alij simili casu affecti morerentur, prouidit.

Quō hæretici suā agnoscere possint fatuitatē contra cruces.

At uos e contra. Qui cum certum teneatis in morte Christi, quæ per crucem acta est, uitam uniuersorum consistere, dum

dum crucem de medio auferre uultis, uitæ omnium inuidetis. Cernitis adhuc solenne, & pecoribus ipsis tam notum inconueniens? Videtis non mereri pœnam res sine culpa, tormenta insensibilibus non inferenda? Videtis quia, & iniuste pœna innocenti, & stulte tormenta irrogantur non sentienti? Quæ cum ita sint, si libet uobis tantopere redemptoris uindicare tormenta, quærite reum qui mereri, & sensibilem, qui possit illatam pœnam sentire. Cumq; in tota uisibili creatura solus simul, & reus & sentiens apparuerit homo, agnoscetis tandem uos bestialiter desipuisse, & Apri uel Vrsi more, elapso Venatore in uenabulum inaniter morsibus, & unguibus desæuisse. Agnoscetis certe innocuas creaturas, iniuste, & ridicule, belluino dente uestro uexatas, cum nec pœnam sentire potuerit nisi sensibilis, nec damnari debuerit, nisi culpabilis.

Non in cruces, sed in crucifixores uindicandum est.

Apparebit uobis (ut dixi) solus reatui, & ideo iure tormentis subditus homo: quem solum, & iuste pro commissis arguere, & a quo solo debitam uindictam merito reposcere possitis. Quo facto, nec uniuersitas creaturæ insensibilis, uel irrationalis, indignationem uestram pro quibuslibet hominum molestijs incurret: & Crux domini, ignes uestros, & gladios, sub quibus tremebat, hac ratione compellente euadet. Euadet (inquam) ut innocens culpam, euadet ut insensibilis pœnam, & de morte Christi, iam non ut rea damnabitur, uel ut sensibilis punietur, sed suas lineas repetente iustitia, & qui delinquære potuit, inuestigabitur, & non nisi qui deliquit, condemnabitur. Ea æquitate, cum (sicut præmisi) solus inter mundanas creaturas inuentus fuerit delinquere potuisse homo, ille tantum damnabitur qui huius tanti criminis reus apparuerit homo. Sic plane sic exigit lima ueritatis, ut sicut omnem non reum saluat iustitia,

ſic omnem ſniuſtum damnet iniuſticia. Inde, cum non omnem hominem ſed quoſdam hominum, reatus ſuppliciorum, ſeu mortis dominicæ reos oſtenderit: alijs indemnatis ipſi damnabuntur, alijs impunitis, illi tantummodo quos praua uoluntas reddidit noxios: punientur.

Crucifixores aliqui per pœnitentiã ſaluati.

Nec ipſi etiam omnes punientur: quia mutatis quidam affectibus ad Chriſtum conuerſi, iuſticia eius a culpa mundati, & morte eius quam ipſi intulerant, ſunt a morte erepti. Ad quid iſtud? ut uidentes uere reos dominicorum cruciatuum, mortem & digna ſupplicia, pœnitentiæ remedio euaſiſſe. Videntes (inquam) aliquando etiam reos homines ſaluari: nunquam ream Crucem domini erubeſcatis damnare. Quæ cum ita ſint, non ualet parabola ueſtra, quam ad condemnãdam crucem domini, ruſticiſſimis, & imperitiſſimis hominum quiſquilijs ꝓponere ſoletis. Nam ſecundum ea quæ propoſita ſunt, nec laqueus pro fracto gutture patris ſuccendendus: nec gladius, pro perempto fratre uel amico, fuerat confringendus. Vnde ſi iſta pro ultione patris, amici uel fratris non fuerant pe ſſundanda: nec crux ſaluatoris, uelut pro uindicta ſanguinis, ac mortis eius, confringenda fuerat uel comburenda. Quoniam (ut ſæpe iam dictum eſt) nec delinquere potuerunt, quia erant irrationabilia: nec rurſum delinquere uel ſentire, quia erant inſenſibilia. Stultiſſime igitur, & praue factum eſt, quando crux domini, quæ nil deliquærat, nil ſentiebat, tormentis ſubacta eſt.

Lignum S. Crucis honore colendum.

Hæc inuicta ratio, ſalutari ligno iniuſte quidem a uobis factam contumeliam oſtendit: ſed nondum honore quo illud colimus, dignum probauit. Veniat ergo autoritas, ſuccedat & ratio, & crucis lignum, non iam contemptibile ſed glorioſum, catholicis pariter, & hæreticis declaret.

Veniat

Veniat igitur primus in Canone, primus & in nostra oratione Moyses, signet agni sanguine in modum crucis Hebræorum Ostia, & superliminare domus: & utroque poste linito, ingressum Angeli percutientis prohibeat. Mittat deinde in deserto lignum, huius ligni præmonstratiuum, in aquam, & eam de amara dulcem, de inutili potabilem faciat. Rursus percutiat uirga bis silicem, Iudæo bis inclamante, Crucifige: & exeant de percussa silice, hoc est, crucifixo redemptore, aquæ largissimæ, quæ totum mundum baptismate, & doctrina abluant, & populum ac iumenta, salutaris scilicet uerbi longa siti deficientes, astutos pariter ac stultos reficiant.

Figuræ Crucis in Vet. testamento. Exo 12. Exo. 15. Exo. 17.

Colligat & uidua de Sarepta duo ligna, & aptet ea in crucem, qua per ignem passionis, panem uitæ decoquat, cui & oleum sancti spiritus addat: quibus tamdiu sustentetur, donec famelico præsentis uitæ tempori saturitas æterna succedat. Dehinc in Ezechiele Propheta, frontibus uirorum gementium, & dolentium super iniquitatibus Thau litera imprimatur, ut eo signo, ab alijs discreti, mortem euadere possint. Intelligatur hoc elementum præ omnibus Hebræis literis non frustra ad signandas frontes assumptum, cum tali nota crux non iam præmonstretur sed exhibeatur qua quicunque insigniti fuerint, a mundi interitu soli eruantur. Quibus iam communis interitus obesse non poterit, quos & damnata fletibus iniquitas, & diuina per crucem subueniens pietas, ab aliorum morte secernit.

3. Reg. 17.

Ezech 9. Nota de Thau litera

Ista si uos de heresi ad Iudaismum transitum facientes in alios intellectus distorquere, distortis sensibus uolueritis, respondete, quæ necessitas signari potest domorū Agni sanguine, notari frontes hominum nota iam dicta coegerit, An non possint aliter uel illi angelum percussorem, uel isti

Rationes mysteriorū Crucis.

gladium ultorem euadere? Erraret forsitan cœlestis uindicta, nec inter Hæbræos, & Aegyptios, inter iustos, & peccatores, discernere posset, nisi & illos non esse Aegyptios, in ostiorum postibus legeret, & hos a damnatis impijs discernendos, frons signata doceret. Et quid est quod ibi tinctura sanguinis, cunctis Aegyptiorum coloribus antefertur, cum sanguinis litura uix ad momentum aut colorem conseruare aut quid infecerit ualeat demonstrare? Quid est quod non solum subliminare, nec soli postes, sed & superliminare, & postes signantur? Quid est, quod & sanguine (ut dixi) signantur, & non nisi sanguine agni signantur? Hæc quia superfluo iussa uel facta nec Christianus audet dicere nec Iudæus aliquid, præter quod tunc uidebatur, ea prætendere, nec Christianus negabit (ut arbitror) nec Iudæus.

Sanguis agni in cruce immolati. Et quia cum Christianis, licet malis, nunc mihi sermo est, & cum ijs qui se maxime Euangelio credere dicunt, nil credo congruentius ad hoc ænigma dissoluendum afferre poterunt, quam Agnum illum esse, de quo Iohannes

Io. 1. Bap. in Euange. Ecce agnus dei, & propheta. Sicut agnus
Esa. 53. coram tondente se obmutescet, & non aperit os suum. Im-
1. Cor. 5. molabunt agnum ad uesperam, occisum Christum in fine
Psal. cxl. sæculi. Vnde Apostolus. Pasca nostrum immolatus est
Heb. 9. Christus, & unde Dauid. Eleuatio manuum mearum, sacrificium uespertinum. Sanguinem agni, de quo Apostolus. Si sanguis hircorum, & taurorum inquinatos sanctificat, quanto magis sanguis Christi? Qui quoniam in ligno fusus est, ligni postes eo liti sunt. Et quia in Cruce dextra ac sinistra, superiorque pars intincta est. Sed nec inferior ad perfectum modum Crucis exprimendum defuisset, nisi non conculcandum sanguinem testamenti

stamenti æterni, spiritus dei qui loquæbatur hoc silentio declarasset.

Cur etiam litera illa præ cæteris literis uel notis omnium gentium, ad signandas frontes gementium et dolentium electa est. Dicat Iudæus, dicat hæreticus si quid potest. Cunque uel tacuerint, uel in commentis suis uterque defecerint, dicat catholicus, Prophetam uolentem prædicere saluandos a cõmuni interitu Christianos, signandos esse signo crucis, non potuisse apertius exprimere, quam ipso signo crucis. Hoc non in qualibet corporis parte, sed in ipsa fronte depinxit, ut neque de obprobrio Christi cum Iudæis erubescamus, neque cum hæreticis crucem eius, non iam contumeliæ, sed honoris insigne, abijciendam uel concremandam iudicemus. Nam & litera quæ Thau dicitur, formam crucis habens, non tantum apud Hebræos, sed etiam Græcos, & nomen retinet, & figuram conseruat. Et apud Græcos quidẽ, quod ab initio habuerat, nec nomen nec figuram mutauit. Apud Hebræos uero licet formam mutauerit, uocabulum tamen hucusque seruauit. Si causa mutati elementi quæritur, in libris Ecclesiasticis, & hæbraicis inueniatur. Ascendit (ait scriptura) Esdras de Babilone, & ipse scriba uelox in lege Moysi. Velox, non sensus uel nomina hebraicarum literarum mutando, sed aptiores et ad scribendum habiliores characteres inueniendo. Seruabatur (teste beato Hieronymo harum linguarum doctissimo) forma huius literæ apud Samaritanos adhuc suo tempore, & forte adhuc uel apud ipsos, uel apud quoslibet conseruatur. Nam mutantibus Iudæis literas suas, gensilla elementa, quæ a Iudæis acceperat, mutare noluit: sed sicut ei primo tradita fuerant, literarum signa & nomina illibata seruauit.

Mysterium de litera Thau. Ezech. ix.

Mutatio Hebraicarum literarum.

1. Esdræ. vij.

Verba uero sancti Hieronymi, si tamẽ ea suscipere dignamini,

Verba Hieronymi de litera Thau.

mini, in Commentario super prophetam Ezechielem ita se habent. Antiquis (ait) Hæbreorum literis, quibus usq; hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera Crucis habet similitudinem: quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus impressione signatur. Hoc beatus Hieronymus. Militat ergo fidei nostræ, et non parum Crucis gloriam hoc propheticum elementum extollit: quod non ab Esdra, licet magno homine, uel ab alio quolibet, sed & ab ipso & maximo legis latore uel scriptore Moyse inuentum, et traditum est. Nam de Christo, teste ipso Christo, Moyses scripsit. Vnde quia iuxta beatū Apostolum, omnia in figura contingebant illis: sicut totum corpus legis Christum sonabat, sic & istud elementum legis, Christi crucem prædicabat. Nec tantum prædicabat, sed & ipsa forma uisibili legentium oculis ingerebat.

Ioan. v.
1. Corin. x.

Thau quid significet.

Ingerebat (inquam) litera hęc forma sua legentium oculis Christi crucem, prædicabat & nomine suo Christi in cruce passionem. Nam cum Thau, lingua latina consummatio dicatur: nonne iam hoc nomine Christi uocem ultimam in cruce sonabat, qua dixit, Consummatum est: Nonne uniuersa de Christo ante prædicta, per Christi crucem implenda & consummanda esse, hoc suo nomine testificata est? Nonne iuxta Apostolum quæ in cœlis, & in terra sunt, pacificanda esse per sanguinem filij dei, qui in cruce fusus est, hoc suo nomine aptissime demonstrabat?

Ioh. xix.
1. Col. 1.

Cur litera Thau ultimo loco ponitur.

Illud quoq; huic intellectui seruit, quod hæc litera, nec prima nec media, nec quolibet modo interposita, sed ultimo loco in literarum hebraicarum ordine scribitur, ut formam crucis habens litera, dum finem præcedentibus literis ponit, Christum sacramento mortis suæ, quam in cruce

passus

passus est, prioribus sacramentis finem perficientem per crucem imposuisse declaret. Sic litera prophetica & cruci Christi eiusque passioni famulans, quum uel forma uel nomine Hebræos, Græcos, Latinosque occupauerit: quid aliud quam per tres principales linguas omnibus linguis & gentibus Christum per crucem principaturum signauit? Signauit plane Christum per crucem dominaturum orbi terrarum, sicut & Apostolus ipse confirmat, dicens. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autē crucis. Propter quod & deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu, omne genu flectatur cœlestium, & terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris.

Nota

Phil. 2.

Quæ cum ita sint, quis non uideat, non solum non esse contemnendam, immo maxime honorandam crucem domini, cum ipse spiritus domini qui locutus est per prophetas, tanto eam honore dignam iudicauerit? Iudicauit plane multo eam dignam honore, quando tanto ante crucem, tempore, nec hebræos ab angelo interfectore, nec flentes iustos ab impiorum interitu, absque eius signo saluauit. Iudicauit multo eam dignam honore, cum eius signum, non in abscondito uel obscuro, sed in aperto & in lumine posuit, quando eo & ostia (ut dixi) domorum, & frontes hominum, quæ magis se intuentium conspectibus offerunt, insigniuit. Indicauit per cruces ostiorum, totam sibi per crucem mundi domum cessuram. Ostendit per cruces frontium, totum sibi hominem, per crucem uendicaturum.

Epilogus Laudum crucis ex ueteri testamento.

Cum ista ad gloriam crucis magna sint, accedant adhuc maiora, & de Noui testamenti corpore exempla uel testimonia

Testimonia crucis ex nouo test.

monia crucis gloriæ famulentur. Ad quam absq; reclamatione approbandam, more suo Apostolus ueniat, & garrulis stultis solo aduentus sui terrore silentium imponat. Audite saltem eum uos, qui nos audire dedignamini: & contra tubam cœlestem, si audetis, rauco uestro murmure mussitate. Audite amicum crucis, inimici crucis, & quid de uobis sentiat diligenter aduertite.

Crucis inimicos deflet Apostolus. Phil. iij.

Multi (ait) ambulant quos sæpe dicebam uobis: nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum. Quid ad hæc miserrimi hominum dicitis? Flet Apostolus ante tot sæcula interitum uestrum. Flet nondum natos inimicos crucis Christi. Flet gloriam uestram uersam in confusionem. Flet, & uos ridetis: plorat, & uos gaudetis: dolet, & uos letamini. Quare hoc? quia iuxta flentis domini uocem, in hac die uestra quæ ad pacem uobis, nunc autem abscondita sunt ab oculis uestris. Sed patent oculis Apostolicis, & quis finis inimicos crucis Christi sequetur, denuntiat. Quorum (ait) finis interitus.

Luc. xix.

Inimici Crucis hæretici. Rom. vi.

Infœlix sors uestra. Habent alij secundum eundem Apostolum, fructum suum in sanctificationem, finem uero uitã æternam. Habetis uos gloriam in confusionem, finem uero interitum sempiternum, Quod si tanta meruerunt, qui non ut uos cruci Christi inimicabantur, sed quia quædam cruci idest mortificationi spirituali contraria & faciebant, & dicebant, inimici crucis dicuntur. Quid uos mereri potestis, qui non tantum sacris uirtutibus, quæ per crucem signantur aduersamini, sed & ipsum crucis nomen crucifixi cultoribus auferre conamini? Sublata enim (ut supra dixi) cruce, ubi erit crucifixus?

Quorũ Deus uenter est.

Crucifixo recedente, quis erit uester deus? ille certe, de quo subdit.

subdit. Quorum deus uenter. Credo Apostolum in spiritu præuidisse uentres uestros, carnibus, igne crucium coctis, distentos: & idcirco optimum uobis deum uentrem instituisse: ut qui crucem incendendo crucifixum abnegastis, uentrem pro ipso deum, iam saturi, haberetis.

Hinc laudes crucis qui cœpit perficiat, & post deploratã iniuriam, doctor summus Ecclesię gloriam eius aperiat. Absit (inquit) mihi gloriari nisi in cruce domini mei Iesu Christi. Puto quod non contumelijs uel incendijs dignam indicat, quam sic gloriosam prædicat, ut alibi q̃ in ipsa gloriari, alibi quam in ipsa gloriam suam cõstituere, nephas ducat. Absit (inquit) non contingat, nunq̃ sit, longe fiat a me hæc meditatio, hæc uoluntas, hæc cogitatio. Crucis laudes ex Apostolo. Gala. 6.

Quæ ut intentionis meæ finem, laborũ meorũ requiem, passionum mercedem, totam illam q̃ expecto gloriam alibi, quam in cruce domini ponere, aliunde q̃ a cruce domini recipere uelim. Non q cruci, quantum ad crucem pertinet, aliud q̃ cruciatum inesse intelligam, sed quia cruciatu crucis mihi salutem, ignominia crucis gloriam, morte crucis uitam mihi a Christo datam agnosco. Inde est q & glorior in infirmitatibus meis, non propter infirmitates ipsas, sed ut habitet in me uirtus Christi. Hunc Apostolicũ intellectum, & beatitudines euangelicæ probant, cum beati pauperes, & beati qui lugent, & beati qui esuriunt, & beati pacifici, & qui persecutionem sustinent, appellantur, non q pauperies, luctus, esuries, aut patientia beatos faciant, sed quia regnum cœlorum pauperibus, consolatio lugentibus, saturitas esurientibus, dei filiatio pacificis datur. Sic & de cœteris. Vnde sicut uirtutes hæ, quæ licet torqueant, tamen glorificant, nõ sunt contemptibiles, sed gloriosę, ita crux domini q̃uis eũ torserit, quia tamen torquendo gloriã peperit, gloriosa esse, ꝓmeruit. Gloriari in cruce Domini. Nota. 2. Corin. 11. Mat. 5.

Idcirco gloriatur in cruce Apostolus: & non in ipsa gloriantes, de quibus & uos estis, inuehendo notat. Gloriatur (inquam) in cruce, & eam gloria dignam prædicat, dum rursus in Epistola ad Ephesios, Christum reconciliasse ambos, hoc est, Iudeum & Gentilem in uno suo corpore, deo per crucem, & interfecisse inimicitias in semetipso asserit. Gloriatur in cruce, & eam gloria dignam prædicat, quando in subsequentibus flectere se genua ad deum patrem dicit: ut inter alia quæ eis dare postulat, det eis compræhendere cum omnibus sanctis, quæ sit crucis eiusdem latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum.

Ephe. 2.

Ephe. 3.

Videtis Apostolum summum post Christum Christianorum magistrum, tot tantisq; testimonijs suis omnino, & per omnia sensui uestro contraria sapere, prædicationi uestre dissona prædicare? Cernitis eum non tantũ crucifixum, sed & crucem eius maximis salutis humanæ mysterijs tantopere adaptare? Aduertitis formam eius, quæ adeo uobis contemnenda uidebatur, ut flamis digna iudicaretur quanto ille cœlestium arcanorum scrutator honore dignam existimauerit, dixerit, scripserit? Non ille aut partẽ eius aliquã, aut totam simul, sed sigillatim ac studiose partes uniuersas crucis enumerat: et non minus mysticis sacramentis, q̃ ipso Christi crucifixi corpore grauidam, uelut multiplici fructu uitæ arborem signat. Vocat latitudinem lignum in transuerso positum: in quo dominicæ manus fixæ fuerunt. Longitudinẽ illud quod ab ipso protenditur usq; ad terrã, in quo pedes ipsius confixi sunt. Sublimitatem illam ligni partẽ, quæ supra caput eius eminens, titulum, causam eius continentem, inscriptum habuit. Profundum quod in imis occultatum, oculis penetrari non poterat. Hæ sunt crucis partes, quas describit. His illa crux dominica constans: has magnis sacramentis.

Repræhensio hæreticorum per Epilogum ex Apostolo.

4. Partes Crucis.

dicatas affirmat. Inde genua flectit, inde ut hęc illi possint ap præhendere supplicat, inde (ut dixi) latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profundum crucis, non odiosa hominibus, sed preciosa esse debere declarat. Quia si partes crucis Apostolico testimonio laudabiles sunt, credo quod ipsa tota crux, quæ ex illis partibus constat, non contemnenda, sed laudanda, & honoranda est. Hoc si ita est, non solum a contumelijs uestris crux domini libera debere esse monstratur, sed & laudibus, & gloria digna esse probatur. Quod si forte quæritis, quid latitudo ab Apostolo posita? quid longitudo? quid sublimitas? quid profundum, mysterij contineant? non est hoc huius loci exponere: quia non docentis supra uos, sed disputantis contra uos officium assumpsi. Sed si de impietate ad pietatem mutatis in melius studijs, conuerti uolueritis, poteritis & uos hoc compręhendere cum omnibus sanctis, ut non blasphemando, sed humiliter, & modeste petendo, accipiatis: querendo, inueniatis: ac pulsando, aperiatur uobis.

Post Apostolum ueniat, & Dominus Apostolorum: & quid erga crucem suam animi gerat, expectantibus nobis aperiat. Non puto cruciatibus crucis aliquem eo magis debere irasci, cum ipse tantum his, non alius tortus fuerit: & cum pœnas uel præmia dispensare, non alterius, sed ipsius proprium sit. Audite ergo post alia de cruce etiã Crucifixi sententiã: & eius saltẽ iudicio, uel honore, uel cõtumelia dignã credite. Venturũ se in fine fæculi ad discutienda uel iudicanda mortalium facta, in Euangelio denuntians: Virtutes (inquit) cœlorum mouebuntur, & tunc apparebit signum filij hominis in cœlo. Quid rogo hic dictum signum filij hominis putatis? Nunquid ipsum filiũ hominis? Sed signũ nõ est res eadẽ, cuius est signũ. Aliud est enim sig-

Testimoniũ Christi de gloria Crucis.

Mat. 24

num, aliud illud cuius est signum. Vnde non potuit esse signum filij hominis, quod est ipse filius hominis. Quid ergo erit? Cogitate, quærite, uestigate. Quod erit tanti precij, tantæ gloriæ, tantę sublimitatis signum, ut tunc appareat in coelo, quando ipse filius hominis cum uirtute multa, & maiestate descendet de coelo? Sed quid laboratis? Nolite leuitatem uentorum, uanitatem umbrarum, phantasmata somniorū, distortas persequi semitas errorum. Abijcite mendacia, in qbus nihil stabile: assumite ueritatē, in qua nihil est mobile.

Signum filij hominis. Illud, illud est signum filij hominis, quod eum magis declarat esse filium hominis. Quid uero eum adeo declarauit esse filium hominis, quam mors, quam nullus unq̃ euadit filius hominis? Quam quia in hac, de qua sermo est, cruce, Christus pati uoluit, licet esset filius hominis, filium tamen se esse hominis, per crucem moriendo signauit. Signando ergo uerum filium hominis, dicitur crux uere signum filij hominis. Huic uerbo euangelico, & Euangelicus Propheta Esaias congruit, cum dicit. Et leuabit dominus signum in

Esa. 5. nationibus. Sed & quod idem Propheta subiungit. Et congregabit profugos Israhel, & dispersos Iuda colliget a quatuor uentis. Videte q̃ apte huic Euangelico capitulo conueniat. Nam cum dixisset dominus, et tunc apparebit signum filij hominis in coelo, uno uersu interposito ait. Et mittet fi-

Mat. 24. lius hominis angelos suos cum tuba, et uoce magna, & congregabit electos eius a quatuor uētis, a summis coelorum usq; ad terminos eorum. Sic certe sic non solum in sententia, sed & in uerbis propheta, & Euangelista conueniunt. Quod enim ille leuabit dominus signum in nationes, hoc iste, apparebit signum filij hominis in coelo. Quod ille, congregabit profugos Israhel, & dispersos Iuda colliget a quatuor uentis, hoc iste, mittet angelos suos cum tuba &

uoce magna, & congregabit electos eius a quatuor uentis. Nisi quod propheta magis de primo Christi aduentu hoc dicere uidetur: Euangelista uero de secundo hoc apertissime dicit: Sed siue in primo, siue in secundo: signum leuatum in nationes, crux est, & apparens signum filij hominis in cœlo crux est: Quæ quia & hic in signum a Christo leuata, nationes orbis ad fidem salutis æternæ a quatuor uentis congregat, & in ultimo Christi iuditio ad eandem æternam salutem & gloriam a quatuor uentis, hoc est, de toto mundo, electos in cœlo apparens cōuocat: summo ab eis honore colenda creditur, dicitur, prædicatur.

An dignum est, ut quam ad salutis humanæ causam cōmēdandam cœlum exhibet, terra respuat? An dignum est, ut eam homines abijciant, quam angeli honorant? An non honorant, quando commotis ad iudicium cœli uirtutibus, ipsam mundo iudicando, secum pariter repræsentant? Nam qui dixit uirtutes cœlorum mouebuntur, ipse subdidit. Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo. Cumq; (ut dictum est) hoc signum crux Christi sit, cum uirtutes cęlorū, hoc est, ordo totus celestium spirituum desuper ueniens apparuerit: tunc & ipsa pariter in cœlo fulgebit. Fulgebit in cœlo, ut discant terrigenę non posse sibi conscensum esse ad cœlos, & agnoscant filij hominum non nisi per ipsam se posse fieri socios angelorum. Non est igitur honoranda ab hominibus, quæ angelicum eis honorē præparat? Non est glorificanda a mortalibus, quæ immortalem eis gloriam præstat? Non est ut uitalis & salutifera adoranda, quæ uitā mortuis beatam, quæ salutem perditis conferet æternam? Et plane uelint nolint hæretici, uitalis, quia uitam, salutifera, quia salutem, honorabilis, quia honorem, amabilis, quia amorē, admirabilis, quia admirationem: fœlix, quia felicitatem, no- Ratiōes pro Cruce honoranda.

bilis,quia nobilitatem, beata, quia beatitudinem,gloriosa,
quia gloriam prestat æternam.

Crux Christo gloriam peperit. Heb.ij. Phil.ij.

Qui ergo crucem odiunt quia dominum torsit, diligant eam,quia non solum nobis,sed & ipsi gloriam peperit. Peperit ei gloriam,de qua ait Apostolus. Vidimus Iesum,propter passionem mortis, gloria & honore coronatũ. Peperit (inquam)gloriam crux crucifixo, sicut & alibi idem Apostolus ait,Factus est obediens usq; ad mortem,mortem autẽ crucis,propter quod & deus exaltauit illũ, & reliqua, sicut superius in alio loco posuimus. Hãc quia gloriã huiusmodi illi a deo assumpto peperit, & nobis insuper uitam & gloriam æternam contulit,gloriosa esse promeruit.

Adorare Crucem domini,an liceat. Aug.Epistola.66. Maximo medico. Duplex honor. Exo. xx. & Mat. v. Rom.xij. 1.Petr.ij. 1.Timo. v. Heb.ult. Deut. vi.

Cum ergo irrefragabili autoritate & inuicta ratione honoranda,collaudanda,glorificanda crux Christi a Christianis esse probetur: quod & adorari debeat (sicut a quibusdam hæreticis negatur) sic utrum fieri debeat a quibusdam catholicis quæritur. Hoc autem pro intellectu,quem nobis dominus dare dignatur, pro facultate quam ipse largitur, uidendum atq; discutiendum est. Est honor qui creaturæ impẽditur,& est honor qui tantum creatori debetur. De honore quem sibi inuicem rationalis creatura exhibere debet, scriptum est. Honora patrem tuum & matrem tuam, & Honore inuicem preuenientes, & Regem honorificate, & presbyteri maxime qui in uerbo laborant, duplici honore digni sunt, & honorabile connubium in omnibus, & mille talia,quæ secundum personarum,graduum, officiorum diuersitatem,uel magis uel minus obseruari iubentur. De honore qui deo tantum exhibendus est,ait scriptura. Dominũ deum tuum adorabis,& illi soli seruies,& non erunt tibi dij alieni preter me,et non facietis uobis sculptile atq; conflatile, neq; ponetis in ignem ut adoretis ea. Et honora dominũ de

tua

tua substantia, & gloriam meã non dabo alteri: neq; laudẽ meã sculptilibus, et alia sexcenta in quib. iuxta quod dicitur in libro sapientiæ, incommunicabile nomẽ & solitariæ deitati singulariter seruitus exhibenda aperte monstratur.

Quæ secundum beatum patrem Augustinum ut significantius exprimatur, grece latria dicitur, & latine dei cultus uocatur. Ad hanc diuinam seruitutem, ad hunc dei cultum pertinent & sacrificia, quæ ante legem a patriarchis facta sunt, quæ in lege a Moyse instituta sunt, quæ in tempore gratiæ a Christo præcepta, & a Christianis usq; ad finem sæculi obseruari, ab ipso iussa. Ad hunc dei cultum pertinet & uerbum hoc adorationis, de quo agitur, sed tunc proprie, quando adorans, deum tantum autorem et rectorem suum esse intelligit: quando eum ut deum agnoscens sicut glorificat, & gratias agit, quando totam spem suam in eo constituens, necessaria uniuersa se ab ipso solo accipere credit, quando auxilium suum non a quolibet montium, hoc est sanctorum uel quorumlibet aliorum, sed a domino qui fecit cœlũ & terram esse, omni remota ambiguitate confidit. Latria. Quæstionũ super Exo. lib. 2. c. 94. Psal. cxx.

Hanc seruitutem, hunc cultũ sibi debitum, hoc (ut dixi) incommunicabile nomen, nec cœlestibus spiritib. nec terrenis hominib. nec alicui creaturæ, nec ipsi omniũ creaturarũ beatissimæ matri suæ ac uirgini, creator largitus est, qui sicut ordine ipso creationis, creator creaturæ quã creauit merito iusteq; præfertur, sic decebat ut prælatio ipsa, aliquo signo congruo, signaretur. Signatur igitur prælata creaturis deitas sacrificiorũ signo, signatur isto, signatur multiplici, quod nunc agitur, Christiani populi Sacramento. Hoc quicunq; sibi arrogare concupiuit, & illud quod habebat amisit. Hinc primus archangelus, quia similis deo esse conatus est, sicut fulgur de cœlo cecidit. Hinc Adam illũ per Honor latriæ nulli creaturæ debetur.

damnatorem

damnatorem sobolis suæ, quia deceptæ coniugi adquieuit, deitas respuens socium, de paradiso eiecit. Hinc & illos qui latriam (quam cultum diximus) Idolis exhibebant, scriptura Christiana idololatras uocat, & sicut diuini honoris, & ordinis peruersores condemnat.

Latria debetur Christo. Esa. 66. Psal. xcviij.

Huiusmodi deitatis honorem, nec ipse homo a deo assumptus habuisset, nisi cum eo una eademque persona fuisset. Sed quia ipse dicit, cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum: & Psalm. præcipit, Adorate scabellum pedũ eius, quoniam sanctum est. Terram corporis nostri in dei filio adoramus, neque ut aliquid ab ipso remotum, sed ipsi ita unitum, ut salua naturarum proprietate, idem quod ipse sit, honore deo debito ueneramur. Adoramus igitur hac adoratione Christum non tantum dei, sed & filium hominis.

Lignũ Crucis non adoramus, sed Crucifixũ.

Adoramus & crucem, imo in cruce ipsum, qui deus & homo est, crucifixum. Neque quantum in ipso est aut lignum colimus, aut lignum adoramus: quia manet sententia, Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Sed dum crucem me adorare dico, crucifixum, dominum deum meum esse, meque illi soli seruire debere, profiteor. Huic intellectui & illud attestatur, quod non solum crucem domini, sed & passionem eius, mortem, ac resurrectionem, & his similia, catholica ecclesia laudabili deuotione, se adorare pronuntiat.

Accidentia in Christo preterita quẽ adoramus.

Sed mortem domini, passionem resurrectionem, atque ascensionem eius esse pręterita, nec iam existentia, omnibus certum est. Fuerunt enim illa temporaliter deo huiusmodi accidentia, quæ sicut illi cum prius non inessent, cum tempore aduenerunt, sic & cum tempore abscesserunt. Nam certo et finito temporis spatio moriens, certo & finito resurgens, certo & finito ascendens, docuit illa præterisse: se autem in perpetuum permanere. Vnde illa, sicut iam non existentia,

adorari (ut dictum eſt) non poſſunt. Sicut igitur illa non adorari, certa nullius ſubſtantiæ uel ſubſiſtentiæ ratio prohibet, quod tamen rationabilis ex deuotione uſq; exigit: ſic Crucem domini, quam ex ſe non adorandam eſſe autoritas præcipit, ratio docet: ex Chriſto & in Chriſto ipſam, immo magis Chriſtum in ipſa, uenerandum & adorandum eſſe, deo prorſus ſubditus, & deuotus Chriſticolarum affectus inuenit, ſeruauit, inſtituit. Etenim, cum dico mortem domini, reſurrectionem domini, aſcenſionem domini adoro: non aliud quam mortuum dominum, reſurgentem dominum, aſcendentem dominũ, immo dominum qui mortuus eſt, dominum qui reſurrexit, dominum qui aſcendit, adorare me profiteor. Simili intellectu, cum ante Crucem humiliatus proſternor, eum qui in ipſa olim pro requie noſtra tortus, pro uita noſtra mortuus eſt, ut deum & dominum, cui hoc ſoli debetur, adoro.

Crux quare præcipue poſt Chriſtũ adoretur.

Idcirco autem hoc priuilegium cruci dominicæ datum eſt, ut in creaturis ſola poſt filium hominis, qui & filius dei eſt, adoranda eſſe credatur quatenus in morte domini, quã in cruce paſſus eſt, finem ſummamq; ſalutis humanæ conſtitutam eſſe ſciamus, & nequaq; more infidelium de Cruce, ac morte eius nos erubeſcere certis ac præcipuis humilitatis inditijs doceamus. Quia enim ſicut a bono uiro dicitur, nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet.

Diuos non adoramus. Latriæ cultu Aug. Epiſtola 49.

Nec confitentes confeſſores, nec teſtificantes martyres, nec nuntiatos Apoſtolos, nec prænunciantes prophetas, nec miniſtrantes angelos, nec ipſam, ſumi regis reclinatorium, ſummi dei ſacrarium, matrem eius ſcilicet ac uirginem adoramus, quoniam & ſi per omnes illos ſalus iam dicta, ſuis modis adminiſtrata eſt: per nullum tamen eorum, niſi per crucem conſummata eſt. In cruce ergo, & per crucem con-

Ioan. 19. summata est, in qua, inclinato in mortem capite, a Christo
1. Corin. 1. dictum est. Consummatum est. Adoramus igitur eã prace-
teris propter salutem quæ præ cæteris electa est ad salutem.
Adoramus eam (ut dixi) præcipuo humilitatis indicio: ne
cum Iudæis, quibus scandalum: ne cum gentibus, quibus
stulticia: ne cum Hæreticis, quibus insania uidetur, sapere
1. Corin. 2. uideamur. Hoc præcipuo humilitatis indicio, mundi præci-
Mat. 11. puam saluatricem Christi humilitatem commendamus:
quam nemo principum huius seculi nouit, & quæ abscon-
dita est a sapientibus, & prudentibus, & reuelata tantum
paruulis. Commendamus eam, quando maxime indignita-
ti, crudeli tormento, publicæ ignominiæ colla submittimus:
& mundum, elati hominis superbia condemnatum, hac hu-
miliati dei humilitate saluatum, crucem eius humiliati ado-
rantes, prædicamus.

Adoratio duliæ impenditur homini uel angelo.

Sed est & alius adorationis modus: qui licet eodem no-
mine quo & ille diuinum cultum significans, uocetur: non
tamen eo nisi humana, & (ut supra dictum est) hominibus
impendenda reuerentia signatur. Hoc magnus ille patriar-
cha Abraam, adorauit populum terre, filios uidelicet Eth.
Gens 23. Hoc Loth, testimonio quoque Petri Apostoli iustus, subuer-
1. Pet. 2. sores Sodomorum angelos adorauit. Hoc fratres, Ioseph,
Gen 19. etiam prostrati in terram. Hoc Iosue, principem militiæ do-
Gen 50. mini angelum. Hoc Propheta Nathan, Dauid regem, hoc
Iosu. 5. fortassis, & si malus, Nabuchodonosor, prophetam Danie-
3 Reg. 1. lem adorauit. Neque enim credendum est, sanctos homines
Dan. 2. uel sanctos angelos, cultum deo tantum debitum, aut ho-
minibus impendisse, aut sibi impendi equanimiter tolerasse:
Unde clarum est modum hunc non esse adorationis diuinæ
sed uenerationis humanæ, nec esse singulare illud insigne
deitatis, sed officiosam & communem exhibitionem hono-
ris. Sed

ris. Sed speciale illud, omnem creaturam refugit: generale istud, tam creatori, quam creaturæ rationali inseruit.

Nam irrationali honorem uel modicum exhibere, & autoritas prohibet, & ratio dissuadet: cum tamen uel sanctorum pignoribus, uel sacris locis, uestibus uel uasis, seu quibuslibet talibus rebus honor defertur: non quia sunt insensibilia, pulchra, suauia, præciosa, uel quolibet modo corporaliter hominibus accomoda, fieri creditur: sed quia deo uel sanctis eius perpetuo cum eo uicturis, in his honor congruus exhibetur. — Cultus reliquiarum sacrarum.

Si igitur & hoc modo crux domini adoranda, idest honoranda suscipitur, nec impium est, nec erroneum, sed pium & salutiferum. Pium, quia a rectæ fidei tramite non discordat. Salutiferum, quia salutem pijs adoratoribus, seu uneratoribus comparat. Licet ergo isto uel illo modo crucem domini adorare, ut in illo, non tam ipsa quam deus adoretur: in isto non tam ipsa quam deus honoretur. Illo colatur in cruce confixus, isto ueneretur in ligno autor eius. Illo cultus diuinus, ipsi deo per crucem exhibeatur, isto communis multorum honor, per eandem crucem eidem deo, cui debetur omnis honor & gloria, impendatur. — Crux Domini dupliciter modo adoratur.

D. PETRI VENERABILIS,

Pars secunda quæ est pro Missæ sacrificio, & quæ ad hoc pertinent, Contra Hæresim Petrobrusianorũ & Heinricianorum.

CONTRA ID QVOD DIcunt miſſam nihil eſſe, nec Celebrari debere.

Præfatio.



POST BAPTISMVM NEGAtum, poſt cruces exuſtas, poſt templa deſtructa, ut nihil facium punienda ueſtra temeritas, intemeratum relinquat: quarto iam loco ad ipſum crucifixum, & templorum dominum, & baptiſmi largitorem ſe extendit: & non tantum quæ eius ſunt, ſed & ipſum Eccleſiæ ſuæ auferre molitur. Negat corpus Chriſti, & ſanguinem diuini uerbi uirtute, uel Sacerdotum miniſterio conficí: totumq; inane ac ſuperuacuum eſſe, quicquid in altaris ſacramento, altaris miniſtri agere uidentur, affirmat. Sed quia ueſtrorum nolo relator eſſe uerborum, ipſi ueſtra proponite, quodq; de his, ſeducto a uobis populo prædicare ſoletis, Lectoribus noſtris & auditoribus, aperite.

Hæreſis. Sacramentariorum & Miſſæ maſtigiarum.

Vèrba ueſtra quæ ad nos peruenire poterunt iſta ſunt. Nolite, o populi, Epiſcopis, presbyteris, ſeu Clero nos ſeducenti credere: qui ſicut in multis, ſic & in altaris officio uos decipiunt: ubi corpus Chriſti ſe conficere, & nobis ad ueſtrarum animarum ſalutem ſe tradere mentiuntur. Mentiuntur plane: Corpus enim Chriſti, ſemel tantum ab ipſo Chriſto in cœnam ante paſſionem factum eſt, & ſemel, hoc eſt tunc tantum diſcipulis datum eſt. Exinde neq; confectum ab aliquo, neq; alicui datum eſt.

Verba Hæreticorum.

Audite quicunq; aures ad audiendum habetis audite doctrinã inuincibili ratione ſubnixam Audieram nouorũ apoſtolorum ſententiã, et quia tam noua eſt, ut hos primos prædicatores habuerit, expectabam eam magnis autoritatibus muniri,

Primi Hæretici qui Miſſam calumniantur.

muniri, ualidis rationibus roborari. Sed ecce portentuosus sermo, & humanas non tam bene penetrans quam terebrans aures: sic audacter & nudus omni ratione, destitutus omni uirtute, se nobis non oculte sed palam ingessit, ut uel Delphicus Apollo Paganis, uel Moyses Iudæis, uel Christus Christianis responsa dare uideantur. Quorum uerba quia apud cultores suos diuina credita sunt aut creduntur, ratione non egent: quoniam autoritate plenissima uigent. Vbi enim deitas creditur, ratio non quæritur. Sufficit ipsa sibi, nec rationem de operibus suis seu uerbis reddere compellitur: quam nihil iniuste agere, nihil absque ratione posse præcipere, certum tenetur. Sic doctores isti, sic, inque, audacissimi hostes Christi, ueneniferum dogma orbi Christiano propinant: & absque compage autoritatum, absque neruis rationum, nugas suas nugaces homines uestris, o auditores, sensibus infuderunt, ac si eis fidem dare, uelut sacris oraculis cogeremini. Quod si nullius diuinitatis sibi conscij, hæc & ita protulerunt: patet, quia hæc & ita proferentes, sine sensu dæmonico non fuerunt. Sed iam ad ipsos uerba uertantur, & non diuino spiritu admonitis, sed dæmonico instigatis, immo ipsi per eos loquenti maligno spiritui, benignus sapientiæ spiritus respondeat, & non liberet maledictum a labijs suis. Venite ergo, uenite uos cum quibus mihi communis campus est, pugiles mei, & post ictus quos intulistis, eam quam potero uicem, referte. Aderunt testes pugnæ nostræ, ipsi qui circumsteterunt pugnatores, aderit & supernus inspector, qui non uires sed causas pugnantium examinãs, more suo, non nisi iustitiæ palmam dabit.

Arrogantia horum hæreticorum.

Sapien. 1.

Si hæresis hæc uestra Berengarianis limitibus contenta esset, quæ ueritatem quidem corporis Christi, sed non sacramentum uel speciem aut figuram negabat: facile me huius capituli

Berengarianus error, de quo habetur de cõse. dist. ij. Ego Berengarius.

capituli labore expedirem: & non dico ad Ambrosiũ, Augustinum, Gregorium, antiquos & sanctos Ecclesiæ doctores, quos abiecistis: sed ad moderni temporis doctos & Catholicos uiros, Lanfrancum, Guimundũ, Algerũ uos mitterem: si saltem uel hos non pro maiori autoritate, sed pro tẽporis uicinitate & domestica cognitione, dignaremini legere, uel pateremini audire. Quorum alter archiepiscopus Cantuariensis, alter Episcopus Auersanus, tertius ante canonicus et magister Leodiensis: dehinc nostro tempore monachus & presbyter in monasterio Cluniacensi (ubi etiam liber eius habetur) puræ ac deuotæ conuersationis extitit. Horum primus de ueritate corporis & sanguinis Christi, quæ sacramentorum uelamine tegitur, bene, plene, perfecte: Sequens melius, plenius, perfectius: Vltimus optime, plenissime perfectissime disseruit: adeo ut nihil etiam scrupulosissimo lectori querendum reliquerint. Istorum libri si a uobis legerentur, & lecti intelligerentur: uos uere a stulta pertinacia resipiscere cogerent: utpote qui multos errantes reuocauerunt, multos dubios instruxerunt, multos etiam fideles, in rectæ fidei regula confirmauerunt. Isti, inquam, libri uos & corrigere, & ad resipiscendum cogere possent, si (ut supra dictum est) nihil deterius Berengarianis hæreticis sentiretis.

Tres Confutatores Berengarij.

Lanfrancus.
Guimundus
Algerus.

Sed quia (ut dixi) errorem errore, hæresim hæresi, nequitiam nequitia superastis, non tantum ueritatem carnis & sanguinis Christi, sed & sacramentum, speciem, & figuram negatis & sic absq; summi & ueri dei sacrificio, eius populũ esse censetis. Ea propter, sicut nouus languor noua medela curandus: sic nouus error, noue opere confutãdus est, ut q̃d a magnis uiris fuerat præteritum, quia nec auditum: quia nunc primum sonuit, nequaquam remaneat indiscussum.

Isti peiores q̃ Berẽgariani.

Respondet

Respondet ergo uobis, o hostes dei, Ecclesia dei: se neq; absq; sacrificio esse, nec illo suo sacrificio aliquid aliud, quam corpus & sanguinem sui redemptoris offerre. Offert quidē illa domino deo suo sacrificiū spiritus cōtribulati, de quo propheta. Sacrificium deo spiritus contribulatus, offert sacrificiū iustitiæ, de quo idē. Tunc acceptabis sacrificiū iustitiæ. Offert sacrificium laudis, de quo qui supra, Immola deo sacrificiū laudis. Sed longe acceptabilius offert sacrificiū, cum scilicet qui, iuxta Apostolum, per spiritum sanctū semetipsum obtulit immaculatū deo, ut emundaret conscientiā nostrā ab operib. mortuis, ad seruiendū deo uiuenti. Offert agnū dei qui tollit peccata mundi, qui nec immolatus morit̃, nec diuisus minuitur nec comestus consumitur. Offert ipsum ꝓ se ipsa, qui se obtulit ꝓ ipsa, et q̃d ille fecit semel moriēdo, hoc illa facit semper offerēdo. Sed quia noui hæc magis dicēda esse fidelibus uenerantibus, q̃ infidelibus irridentib. recondantur interim margaritæ, ne a porcis cōculcentur, & cur sacrificare deo cœli terrigēas ꝓhibeatis, quāto nisu potestis astruite.

Sacrificia Ecclesiæ multa.
Psal. 50.
Psal. 49.
Hebre. 9.

Sacrificium Missæ omnium sacrificiorum præstantissimū.

Cunq; hoc sit cultus diuini, et subditi deo animi præcipuū, et ab ipso deo constitutum indiciū, afferte si qua pro uobis sunt (quæ nulla, ut credo, sunt) cur seruos domino, homines deo, cōditori condita, redēptori redēpta, famulari nō uultis: eiq; soli debitū et ab istis exhibendū uenerationis genus reddi, quantis potestis nequitiæ uiribus, nō sinatis. An forte, qa parum emolumenti presbyterium uestrum, dum ut presbyteri ministraretis uobis offerebat: prophanare, pessundare, & distrahere cuncta Ecclesiastica mysteria & ministeria deliberastis? Vt quia pueros baptizare pigebat, eorum baptisma negaretis, quia laboriosum erat cruces dolare, crucifixos pingere uel sculpere, idcirco eos incenderetis: quia sumptuosum erat Ecclesias fabricare, eas destrueretis: quia non

Nulla hæreticis iusta cōtra sacrificiū altaris causa

non ad uotum parochiani uestri numis uel cereis manus uobis & sinus farciebant, altaris sacrificium annullaretis? An quia alter uestrum de Ecclesia quã tenebat, scit ipse quare eiectus: alter monachum deserens, apostata factus est, iniurias illatas ulcisci cupientes, ut porphyrius Philosophus a Christianis caesus, in Christum blasphemi, in Christianos seductores & impij esse proposuistis? An quia tenebrae uos ignobilitatis tegebant: ut antiquus ille templi Dianae successor, de obscuris clari, de ignotis noti, de contemptibilibus famosi, astu non sensu, audatia non uirtute, iniquitate non probitate, fieri delegistis? Sed retineatur impetus indignantis animi, ne illo nimium effluente, proposita differantur.

For. Monachatum.

Erostratus.

Deo debentur sacrificia

Dicite quaeso, cur sacrificia Christiana uobis Christianis (si tamen hoc estis) non placent, cum signo sacrificiorũ semper suos Deus ab alienis secreuerit: cum diuinam seruitutẽ, ab humanis obsequijs, hoc signo discreuerit: Cum honorẽ Creatori singulariter debitum, ab eo honore quo se inuicẽ rationalis creatura praeuenire iuxta Apostolum debet, hoc maxime signo distinxerit. Recolite antiqua saecula, generationem sanctorum, ab Adam usq; ad Christum discutite: inuenietis aut nullos aut raros absq; ritu sacrificiorum deum coluisse: quia quicunq; iustitia deo placebant, statim eum sacrificiorum ueneratione colebant. Videbitis certe primum illum & iustum Abel deo munera offerentem; deum super eius munera inflammantem. Noe post diluuium, noui saeculi primordia, sacrificijs dedicantem. Abraham post Vaccam triennem, capram trimam, & arietem trium annorũ, turturem quoq; et columbam quae deo obtulit, etiam filium colligatum in altari super struem lignorum, ad immolandum collocasse, sed ne uota compleret, ab ipso qui hoc praeceperat, prohibitum fuisse. Post Abraham offerentem & Isaac

Rom. xij.

Semper fuere sacrificia.

Gene. 4.

Gene. 8.

Gen. 15. et 22.

Isaac oblatum, uidebitis & Iacob motum uisione dei & angelorum, in diuinitatis, quam uiderat, honorem, erexisse lapidem, & fudisse oleum desuper: ac dixisse, Vere dominus est in loco isto: & hæc domus dei est, et porta cœli: Cognoscetis & in terra Hus, hoc est, inter gentiles, cui non erat similis suo tempore super terram: simplicem & rectum Iob diluculo consurgentem, & pro singulis filijs holocausta offerentem, dicentemque, ne forte peccauerint filij mei. Gene. 28.

Procedetis inde usque ad magni Moysi tempora, & totam Hebræorum stirpem (de qua saluator, cui repugnatis, secundum carnē nasciturus erat) inuenietis a deo per Moysen sacrificiorum diuersīs ritibus & innumeris substratam, & pro peccato, & pro delicto, pro purgatione, pro emundatione, boum, uitulorum, agnorum, ouium, arietum, hircorum, turturum, columbarum, diuersorum quadrupedum, et uolucrum, hostias pene assidue offerentem, in tantū ut (iuxta quod Apostolus ait) sine sacrificijs, & sanguinis effusione, non fieret remissio peccatorum. Legite leuiticum, si tamē uel eius nomē uobis notum est, imo legite totum Pentateuchum, qui lex proprie dicitur, totamque Veteris testamenti seriem recensete, quę docebit quod ignoratis, sanctis Regibus Ducibus, Prophetis, Sacerdotibus, Deum per sacrificia frequenter responsa dedisse, eique hostias corū gratas, acceptasque fuisse, aut fumo quo adumbrabat, aut nebula qua tegebat, aut igne quo absumebat, alijsque iudicijs declarasse. Hinc in Salomonis dedicatione, & sacrificio, quando ouium centū millia, boum xx. milia oblata sunt, per nebulā gloria domini impleuit domum domini. Hinc super Heliæ holocaustū cælestis flāma descendens, nō solum bouem oblatum, sed & ligna altaris & lapides usque ad cinerem consumpsit, talique signo acceptum deo Heliæ sacrificium monstrauit. Hinc in conse-

Varia Iudæorum Sacrificia.

2. Paral. 7. Salamon.

3. Reg. 18. Helias.

Tabernaculum Moysaicum.

Exo. 40. consecratione Eremitici tabernaculi legitur. Postq̃ omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat. Quod profecto tabernaculum, non nisi ad orandum deum & sacrificandum ei, ab ipso deo, per Moysen constructum, erectum, & sanctificatum fuerat. Hinc Esaias in uisione quamuis spirituali, solij excelsi & eleuati, post alata seraphin & clamantia, Sanctus, Sanctus, Sanctus: Comota sunt (inquit) superliminaria cardinum a uoce clamantis, & domus impleta est fumo. Esa. 6.

Deo placuisse antiquorum sacrificia. Habetis si aduertitis, antiquorum sacrificia in tantum deo placuisse, ut non solum ipsa, sed & loca in quibus fiebant, construeret, benediceret, consecraret: & constructa, benedicta, consecrata, fumo, nebula, igne, alijsq̃ (ut dixi) indicijs glorificaret. Neq̃ enim sacrificia propter templum uel altare celebrantur, sed templum & altare propter sacrificia construuntur, consecrantur, ornantur, glorificantur. Ipsa uero sacrificia ad illum tantummodo referuntur, cui soli absq̃ alio comparticipe exhibentur. Hæc enim sacrificiorum seruitus, hic soli deitati deferendus honor, hic diuino tm̃ noie exhibendus cultus, omnem pro creatore respuit creaturam: quia sicut incommnnicabilis est maiestas cui offertur, sic omnem respuit communionem etiam quod offertur. Aug. ad deo gratias Epistola 49. Quest. 3.

Quid designant sacrificia. Signatur hac seruitutis proprietate soli deo subditus homo, ut nihil supra se, iuxta originis suæ conditionem, nisi deum intueatur, a quo solo se initiũ, et in quo indeficientem finem se habere cognoscens, ut autori, rectori, remuneratori subdatur, seruiat obediat, Signat hoc exteriori obsequio interior animi affectus: qui nullatenus agnosceretur nisi signis extrinsecis indicaretur: Signatur hoc officio utraq; hominis

substan-

substantia subiecta deo ut cum illa deuotione deũ amplectatur, ista operatione deo famulaẽ, totus homo ei subiectus esse mõstreẽ, & ut ueraciter dicere possit. Nõne deo subiecta erit aĩa mea? & Cor meũ & caro mea exultauerũt in deũ uiuũ. Psal. 61. Psal. 83.

Idcirco nulli creaturæ, non dico inanimatę, non dico insensibili, non dico irrationali, sed nec ipsi rationali, & beatæ, sacrificijs honorare concessum est. Non angelo, nõ homini, nec ipsi altissimo ordini Seraphin hoc datum est, quia signum, quod inter mortales, conditorẽ a conditis secernit, merito semper incõmunicatum permansit. Nouerant hoc beati Apostoli Barnabas & Paulus q uolentes sibi sacrificare Lycaonios, cũ detestatione prohibuerunt, & quia hostias iam parauerant, uestimenta sciderunt. Sciebant hoc nulli concessum: sciebant etiã minaciter ab ipso deo ꝓhibitũ, qui tam de his, qui nõ deo sacrificant, q̃ de his, quibus sacrificant, per scripturã suã ait. Sacrificans dijs eradicabiẽ: nisi dño soli. Et in dijs Aegypti faciam ultionẽ. Et de utrisq;. Similes illis fiãt qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Nulli creaturæ sacrificandum est.

Actum 14.

Psal 134.

Nam superbi & a deo refugę Spũs, diuinitatẽ deo inuidẽtes, sibi usurpantes, ut cęcos hoĩes, & longe exilij sui tẽpore dei factos ĩmemores, plene a deo auerterent, qđ solius creatoris (ut dictũ est) erat, creaturę exhiberi persuaserunt: & tam sibi, q̃ mortuis hominibus, sacrificia publica instituerunt. Et ut maioribus contumelijs, imaginem dei ad eius dedecus deludendo, subijcerent: etiam creaturis irrationalibus, miseros homines seruire coegerũt: itaq; in rationali animante, rationem sopierunt, ut canibus, uolucribus, bestijs repentibus seruientes, & quibus prælati fuerant, se sponte subdentes, nec homines se esse recordarentur. Vnde Apostolus. Mutauerunt (inquit) gloriam incorruptibilis dei, in similitudinem corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupe-

Demones quare Sacrificia ambiũt

Misera hominum illusio per dæmones.

Roma. 1.

drupedum, & serpentium. Nec his contenti, ad ignobiliora eos traxerunt, & seruos eos etiam insensibilium effecerunt.
Sap. 12. Inde liber sapientiæ. Etenim (ait) in erroris uia diutius errauerunt, deos æstimantes hęc quę in animalibus sunt supuacua, infantiũ insensatorũ morte uiuentes. Propter hoc tanq̃ pueris insensatis, iudiciũ in derisum dedisti. Et itẽ. De his quę
Sap. 12. uidentur bona nõ potuerunt intelligere eũ qui est, neq; operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, rectores orbis terrarum, deos putauerunt. His omnibus decepti homines, dei gloriam tribuebant, eaq; cultu diuino ac sacrificijs honorabant, contra eum qui dicit. Gloriam meam alteri non dabo, neq; laudem meam sculptilibus.
Esa. 42.

Repræhensio hæreticorum sacrificare prohibentium.

Quorsum ista? ut uidentes patres antiquos, & omnes priorum temporum iustos, deo per iustitiam & sacrificia placuisse, ut attendentes, deum sibi soli ea fieri præcepisse, ut audientes eum dijs alienis sacrificantes eradicasse, agnoscentes, inquam, per sacrificia maxime, deo deitatis honorem a sanctis omnibus, sæculis omnibus exhibitum, Concedatis, quod hactenus prohibuistis, & debitum deo sacrificiorum munus offerre, nostri seculi homines permittatis. Vt quid enim prohibentur filij sequi patres suos. Cur quos fide imitantur, præcipuo fidei signo imitari non sinuntur? An forte Iudæorum sacrificia Deus approbat, & Christianorum reprobat? Nonne magis circa eorum sacra nauseat.
Esa. 1. Dicens per Esaiam. Plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem uitulorum, & agnorum,
Psal. 49. & hircorum nolui? Nonne & per alium propheram ait.
Mala. 1. Non accipiam de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos? Nonne & per Malachiam loquitur. Non est mihi

uolun-

uoluntas in uobis, et munus non suscipiam de manu uestra. Quod dicens, non sacrificia illi tempori data respuit: sed prauam uitam ea offerentium arguit. Vnde & per Esaiam subdit, Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Esa. 1.

Mirum ualde si præcipuus (ut iam dictũ est) deitatis cultus, deo nostro tempore non defertur, qui omni, ante nostra tempora, tempore, summo studio, solicita deuotione frequẽtabatur. Mirum si Christiani a sacrificijs uni, & deo offerendis arcentur, cum Patriarchæ, Prophetæ, Iudæi, Gentiles, Fideles: ab ipso deo, ipsi deo sacrificare cogantur. Mirum nunc primum de mundo diuina auferri sacrificia. Cum nũquam mundus in retroactis generationibus suis, absque sacrificiorum sacris fuerit. Nam nec in profundis ignorantiæ & nequitiæ suæ tenebris, ita a deo perijt, ut non haberet aliquos, & si paucos, qui & per iustitiam deum colerent, & per sacrificia eum se colere demonstrarent. Mirandũ de hac cõtra sacrificia temeritate hæreticorum.

At nunc, si nouam uestram doctrinã mundus exaudiat, faciet quod nunquam fecerat, & more captiuati illius populi sedebit absque lege, absque rege, absque sacerdotio, absque Ephoth, & Teraphin. Cunque deo sacrificare cessauerit: & ipse dei esse cessabit. Erit his temporibus gratiæ, quod nunquam fuit nec tẽpore iræ, ut Christianis deo sacrificare cessantibus, cultus qui semper in mundo fuerat, omnino de mundo pereat, & qui deum ritu suo colens, deo esse subditus probatur, cultum eius abijciens, absque aliquo deo prorsus esse uideatur. Quanta mala ex hac hæresi.

Nam cum sint his nostris diebus, quatuor in mundo precipuæ diuersitates sectarum, hoc est, Christianorum, Iudæorum, Saracenorum, & Paganorum, si Christiani non sacrificant, iã nullus in mundo sacrificat. Iudæi enim, more suo, bouinis oculis omnia intuentes, & more asinino legis dei onera ferentes, non fructum capientes: nusquam sacrificant, Nota quod sola secta Christianorum sacrificat. Iudæi.

 quia

quia Hierosolymis tantum dicunt esse locum, ubi per sacrifi cia deum honorare et adorare oportet. Quam quia deo eius contrario, per mille & centum annos, inhabitare prohibiti sunt, sacrificare desierunt. Saracæni ab omnium seductorũ sublimissimo seductore seducti, & inter Iudaicam & Christianam legem submergendi fluctuantes, circumcisionem suscipiunt, lauacris frequentibus utuntur, certis horis die, certis nocte, orationi, maxime post cibum & potum, ut fertur, incumbunt: luxui omnino frena relaxant. Cunq; his & innumeris superstitionibus tota pene Orientalis & Aphricana regio, ab illo nequam Mahumet decepta per quingentos & fere quinquaginta annos inseruiat, et Christum flatu (ut aint) diuino, natum de uirgine, sancte uixisse, uera docuisse, mira fecisse fateantur, de sacrificijs apud eos, nec præcepta aliqua habẽtur, nec aliqua, licet parua, ab eis pro sacrificio offeruntur. Omnipotentem tamen deum rerum omnium conditorem se adorare dicunt: cui tamen (ut dixi) nullos sacrificiorum ritus exhibent.

Saracænorũ religio.

Pagani licet pauci & orbi terrarum incogniti, Cum in Aquilonis extremis finibus, atq; sub gelido axe lateant & loca (ut fertur) Mæotidis paludibus uicina inhabitent, quoniam ignorant ipsos Idolorum errores, & nomina ritus, sacrificia incognita habent: equos, asinos, porcos, gallos, uel quodcunq; mane de lectulo surgenti occurrerit, toto illo die pro deo adorant: sicq; non perpetuos nec saltem annuos, sed (ut ita dicam) deos diarios uel horarios colunt. Et cum flendi homines ignominiosius alijs a diabolo his & multis modis nobis ignotis deludantur, sacrificia tamen nec creatori nec creaturæ exhibent: sed quod innatus error docuit, ab(s)q; omnium sacrificiorum notitia custodiunt.

Pagani.

Dij horarij, & diarij.

Cum

Cum ergo nec apud Iudæos, nec apud Saracenos, nec apud Paganos ſacrificia obſeruentur: ſi nec CHRISTIA= NIS conceduntur, ſignum illud ſingulare deitatis, quo ab initio (ut iam dixi) diuina ſeruitus ab humana ſecerni= tur, perijt. Cum in nulla gente, in nulla parte orbis ter= rarum, inueniri iam poſſit. Sed forſitan minus deo ob= noxia ſunt moderna tempora quam priora: ut hono= rem quem antiqua ſæcula deo exhibuerunt, ſoluere iſti contemnant. Et iuſte, iuſte, inquam, iuſte, quæ ma= iora acceperunt minora reddere debent, quæ numero= ſiore ſumma debiti conſtringuntur, minimam quan= titatem ſoluere compelluntur, & contra IESV CHRI= STI uocem, quæ dicit, Cui minus dimittitur, minus diligit: & contra opinionem Simonis Phariſei dicen= tis: quia is donatorem debiti plus diligit, cui plus do= nauit, unde dictum eſt, recte iudicaſti. Contra has do= mini & Phariſei ſententias, minus deo debet CHRI= STIANVS quam Iudæus: minus tempus Apoſto= licum, quam Propheticum: minus totus orbis ſubſtra= tus uoci Euangelicæ, quam unus populus ſubiectus legi Moſaicæ. Et ubi eſt ſaluator gentium, illis promiſſus, nobis exhibitus, illis oblatus, nobis natus, illis obla= tus, nobis datus? Vbi eſt ſanguis teſtamenti æterni, qui ab illis ad nos defluxit, qui per illorum fiſtulam ad nos decurrit, qui limoſam per quam currebat de= relinquens canalem, nos de limo factos & canali ſup= poſitos, ab omni limo & ſorde purgauit? Vbi eſt ſecundum APOSTOLVM, miniſterium quod abſconditum fuit a ſæculis & generationibus, nunc autem manifeſtum eſt ſanctis eius, quibus uoluit DEVS notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius

Summa in Deum ingratitudo hæreticorũ ſacrificare nolentium.

Lucæ.7.

Coloſ.1.

huius in gentibus, quod est Christus, spes gloriæ? Vbi est iuxta eundem, uirtus sacramenti dei temporibus æternis taciti, ubi uelum templi scissum est, & quæ diu uelata fuerant

Ephe. 3. reuelata? ubi regnum cœlorum de quo rex cœlorum, Pœnitentiam, inquit, agite: appropinquabit enim regnum cœlorum?

Mat. 3.

Aureum sæculum nobis a Christo datum.

Nunquid hæc tam fœlicia tempora, & (ut uerbo pōetico utar) aurea secula, quibus pater mundi misertus, quibus filius pro mundo oblatus, quibus spiritus altissimi mundo infusus, quibus mors extincta, quibus uita reddita, quibus iustitia reparata, quibus resurrectio præparata, minus aliquid prioribus sæculis deo debent? Non, plane, non toto mundo conclamante, non minus ei debent, cui non solum ex conditione, sed (quod carius est) ex redemptione, & se & quæ iure possunt, omnia debent. Quod si omnia: tunc & sacrificia. Ratione igitur necessaria cogente, quæ aufferre Catholicis uolebatis, necessario hęretici sacrificia reddetis. Reddetis ea ratione, reddetis ea (quod apud nostros robustius est) autoritate non ficta, sed ueraci, non terrena, sed cœlesti, non humana, sed diuina. Iritatus deus diuturnis malis Iudaici populi, quibus & in deum impij, & in homines erant iniqui: nec ferens ultra promissiones spirituales ac cœlestes a terrenis & carnalibus conculcari, elegit eis successores, qui quod illi respuebant, susciperent: qui quod nolebant, uellent: qui uineæ fructum redderent temporibus suis. Elegit pro uno populo omnes gentes, pro particula Syriæ uniuersum orbem terrarum, atq; per filium suum, huius magni consilij angelum, Legem suam, cultum suum, sacrificia ei tradidit, & eo mediante, mundum a morte eripiens, immortali uitæ restituit. Hæc ut absq; scrupulo aliquo, uera esse crederētur, & suo tempore susciperentur, per nuntios suos multipharie

Reiectis Iudæis Christiani assumpti sunt in toto mundo.

multisq; modis prædixit. Et quis uniuersa enumeret? Sed quod ad cultum, de quo agitur pertinet, audite Dauid in spiritu dei loquentem. Omnes (ait) gentes quascunq; fecisti, uenient, & adorabunt coram te domine. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Et, Omnes gentes plaudite manibus, &, Regnabit deus super gentes, Et, dicite in nationibus, quia dominus regnauit: & centum similia. Sed hoc de adorando deo.

Psal 85. Psal. 71. Psal. 46. Psal. eodem. Psal. 95. Psal. 28.

Item de sacrificando. Afferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriam & honorem, afferte domino gloriã nomini eius: tollite hostias, & introite atria eius. Et Esaias. Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit dñs. Et Malachias. Ab ortu solis usq; ad occasum, magnũ est nomẽ meũ in gentibus: & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda, quia magnũ nomen meũ in gentibus, dicit dñs exercituũ. Et quid ultra uobis, o bruti homines, restat quærendum? Nonne uidetis sicut legem, sic sacra, sic sacrificia, sic cultũ omnem diuinum, a Iudæis ablatum, & ad gentes translatum? Et si non codẽ ritu celebrantur apud nos sacra, sunt tamẽ sacra, si non eodẽ ordine constant sacerdotia, sunt tamen sacerdotia, si non de eijsdẽ rebus fiunt sacrificia, sunt tamen sacrificia, quia alio quidem modo, sed non alij deo sacra celebrantur, sacerdotia ordinantur, sacrificia exhibentur. Cessate ergo, cessate iam insanire, quia nulla autoritas, nulla ratio patitur, ut minus deo honoris deferant Christiana tempora, quam Iudaica, quoniam quæ plus munerum acceperunt, non minus sed magis obsequi debent eorundem munerum largitori. Vnde uere dignum & iustum est, ut qui ei, gratiæ hoc tempore, alijs sed non inferioribus ritibus famulantur, eum hoc supremo & diuino sacrificiorum cultu, deuotius uenerentur.

Esai. 66. Mala. 1.

Cultus Dei a Iudæis ad Christianos ex gentibus translatus.

Qualia Christianorũ Sacrificia esse debeant.

Iam quia per dei gratiam constat Christiana sacrificia non tollenda: utrum talia esse debeant qualia offeruntur; nihilominus est uidendum. Sacrificium Christiani orbis non multiplex est, sed simplex: non plura, sed unum: quia sicut in toto mundo, unus est populus Christianus qui illud offert, & unus deus cui offert, & una fides per quam offert: ita & ipsum unum est quod offert. Cessit pluralitas Iudaicarum hostiarum unitati uictimæ Christianæ, quæ quia non poterat perfectum facere seruientem multiplicitate sua, prouisa est a deo hostia, quæ offerentes mundaret, sanctificaret, perfectos faceret simplicitate sua. Bos, uitulus, aries agnus, capra, hircus, carnibus & cruore implent altaria Iudæorum solus Agnus dei, qui tollit peccata mundi, altari super ponitur Christianorum.

Sacrificium Christianorum unicũ quod est Christus. 1. Cor. 5.

Audite non me, sed Apostolum dei. Pasca (inquit) nostrum immolatus est Christus. Hoc est. Pasca Iudæorum immolatus est agnus. Pascha uero nostrum, hoc est Christianorum, est immolatus Christus. Hoc ergo unicum Christianorum sacrificium, Christus est. Hoc sacrificium, Christiano tempori seruabatur Hoc, inquam, seruabatur tempori gratiæ, quod congruum non fuerat dari intempore iracundiæ. Habuit bouem Iudæus, Habet Christum Christianus. Cuius sacrificium, tanto Iudaicis uictimis excellentius est: quanto Christus boue maior est. Congrua tunc fuit seruilis hostia seruis: seruata est nostris diebus liberatrix uictima iam filijs & amicis, quibus in euangelio dicitur. Filioli adhuc modicum uobiscum sum. Et iam non dicam uos seruos, sed amicos.

Iohan. 13. Iohan. 15. Sacrificium nostrum unicum sacrificij antiquis signabatur.

Respersus est Textus diuinæ legis innumeris testimonijs, quod multiplicitas antiquarum hostiarum, hanc unam Euangelij hostiam designabat. Et quia impossibi-

le erat

se erat sanguine agnorum & hircorum auferri peccata, ipsa lex quæ multa illa mandauerat, omnes ad hanc unam uictimam transmittebat. De hac Dauid. Eleuatio manuum mearum, sacrificium uespertinum. Et Esaias. Oblatus est, quia ipse uoluit. Et petrus. Non auro uel argento empti estis, sed precioso sanguine, quasi agni incontaminati, & immaculati Ihesu Christi. Et Paulus. Hoc fecit semel, se offerendo dominus Ihesus Christus. Sed scio nomine oblationis, sacrificij, uictimæ, holocausti, & similium, passionem ac mortem domini designari: nec uos hoc unquam negasse audiui. Et ideo his nominibus mors eius signatur, quia sicut morte animalium oblatorum, peccata purgari dicebantur, sic morte ipsius, peccata totius mundi tolluntur.

Heb 10. Psal. 140. Esa. 53. 1. Pe. 1. Heb. 8. Heb. 9.

Et quia dicit Apostolus semetipsum obtulit immaculatum deo: dicitur ipse offerre seipsum, quoniam non coactus sed sponte tradidit in mortem animam suam. Deo uero seipsum hoc modo obtulit, quia mors æterna hominis, non nisi temporali morte dei, & hominis, dissolui poterat. Benignus enim deus, cuius uniuersæ uiæ misericordia & ueritas: sic existens iustus, ut non desinat esse misericors: sic misericors, ut iustus semper permaneat: in rebus quas creauit.

Christus seipsum obtulit.

Psal. 25.

Nec etiam mala quæ non creauit, inordinata esse permisit. Vnde peccatum hominis, quod uelut aliunde, in regnum eius se non iuste immiserat, iuste ordinans: peccatorem damnauit, ac sempiternæ fœlicitatis profugum, miseriæ ac morti æternæ contradidit. In tantum quippe reus factus fuerat, ut omnino culpa eius, in regno eius ordinatissimo, inordinata remaneret, si minore quam æterno supplicio, dei iustitia peccatorem puniret.

Mala deus ordinat per pœnam.

Nec iam iustitia dici posset, quæ meritis condigna non redderet.

Originale peccatum.

Ea de causa propago humani generis in radice corrupta, sicut uitium, sic & eius damnationem ab origine traxit, & tota simul per longa sæcula lege iustitiæ morti æterne subiacuit, Misertus eandem deus essentiali bonitate sua, perdito homini, & eum saluare uolens, sed nisi iuste nec uolens, nec ualens, dum in æterno consilio suo quæreret, qualiter misero salua iustitia misereri ualeret, hoc potissimum occurrit, quo & iustitia seruaretur, & homo liberaretur, & gratia augeretur, & deus glorificaretur.

Quomodo seruata est iustitia in redemptione hominum.

Misit itaq; deum filium, ad filios hominum, ut humanam naturam induens, & humanis uitijs medens, in carne assumpta, non peccatum, sed penam pecati, mortem scilicet corporalem susciperet, & ita simplici sua, illius duplam, horaria sua, illius sempiternam excluderet. In qua dispensatione, misericordia misereretur, iustitiæ nihil detraheretur, dum pro æterno supplicio hominis temporale supplicium dei, et hominis, pro æterna morte hominis, temporalis mors dei & hominis, ei offerretur.

Mors Christi quantum fuerit satisfactoria.

Quæ tanti ponderis, in ipsa ipsius iustitiæ lance, esse cognoscitur, ut ad iuste ordinanda mundi peccata, longe magis præponderet mors transitoria filij dei, quam æterna filiorum hominum. Plus plane redditum est iustitiæ quando Christus mortuus est quam sit recompensatum quando homo damnatus est. Habet ergo iustitia quicquid suum est, quia dei filius, pro peccatis hominum mortuus est.

Iustitia cessit misericordiæ
Psal. 84.

Ita iustitia quæ diu humanæ saluti obstiterat, tandem misericordiæ cessit, & quæ per aliquot mille annorum, diuerso itinere incesserant, misericordia & ueritas in uia (quæ Christus est) obuiauerunt sibi, & quæ uelut sibi

aduersæ fuerant, homine condemnato: eo iam saluato iusti-tia & pax se osculatæ sunt. Sic iuxta Iohannem Baptistam, Agnus dei tulit peccata mundi: sic iuxta Petrum Apostolum, peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignũ: ut peccatis mortui, iustitiæ uiuamus: cuius, iuxta prophetã Esaiam, liuore sanati sumus. Ioh. 1. 1. Pet. 2. Esa. 53.

Hoc est nostrum sacrificium, hoc legis Euangelicæ, hoc Noui testamenti, hoc noui populi holocaustum: quod tunc semel in cruce a dei & hominis filio, deo oblatum est, & q̃d semper in altari ab ipsius populo offerendum, ab eodem præceptum & institutum est. Non enim aliud tunc oblatum, aliud nunc offertur, sed quod dictum est, semel Christus obtulit, hoc semper Ecclesiæ suæ offerendum reliquit. Sacrificium Christi, et Ecclesiæ, unicũ est Sacrificium.

Et quia iam expeditior uia se præbuit, per quam liberior sermo ad ostendendum & confutandum stultissimum errorem decurrat. Audite non me sed dominum: non Christianum, sed Christum: non hominem tantum, sed deũ. Audite eum, quem qui non audierit, exterminabitur de populo suo. Dic domine Iesu, Deus noster, saluator noster, sacerdos noster, hostia nostra. Dic, responde aduersarijs testamenti tui, qui uolunt rescindere quod statuisti: eradicare quod plãtasti: destruere quod constituisti. Dic, forsitan acquiescent tibi qui Ecclesiæ tuæ resistunt: uerebuntur faciem tuam, qui tuis irreuerenter obuiant, & si oues tuæ sunt, uocem tuam audient. Ignosce & mihi præsumptuose interroganti, sed tamen pro Ecclesia tua, Columba tua, Sponsa tua, quam isti uiolare conantur, zelanti. Plane isti redemptorem te negãt, qui precium redemptionis humanæ, quod nobis, & pro nobis dedisti (corpus dico tuum) redemptis aufferre contendunt. Volunt rursum uincire, a te olim solutum nodum captiuitatis, dum largitorem respuunt libertatis. Error stultissimus hostiæ Missæ. Deut. 18. Ioha. 10.

Testamentū Christi non unius diei, sed æternum et luge habet sacrificium.

Dic ergo domine testator noui & æterni testamenti, utrū testamentum hoc unius diei, sicut isti dicunt, esse uolueris, an potius æternum esse decreueris. Audiant isti, non me sed te: ut conuertantur nō ad me, sed ad te. Quid ergo? In cœna ultima, quam, cum discipulis tuis uetus pascha, nouo cōmutans celebrasti, accepisti panem, gratias egisti, fregisti, dedisti discipulis tuis: Sed quid dixisti? Accipite: Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur. Et quid addidistis? Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicē, postꝗ̄ cœnasti, dicens. Hic est sanguis meus Noui testamenti, qui pro uobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Audistis? Nolite fieri simulacra quæ oculos habent & non uident: aures habent & non audiunt. Auditis hoc non a quolibet doctore, sed ab illo de quo Pater clamās præcipit: ipsum audite.

Psal. 115. & 134. Mat. 17.

Hoc est corpus meum.

Auditis eum dantē corpus. Sed quod corpus? Sunt enim corpora cœlestia & terrestria: & quicquid uisui, auditui, olfactui, gustui, tactui, hic subiacet, corpus est. Vnde ne quis putaret, animalis cuiuslibet aut hominis cuiuslibet hoc esse corpus: ad excludendum omne aliud sensibile uel insensibile corpus: postquam dixit: accipite, hoc est corpus, adiunxit, meum suum ergo, non alterius, corpus discipulis dedit. Rursus ne forte alicui cogitatio occulta subreperet: potuisse creare in manibus suis corpus quod suum quidem esset, sed tamen quod ipse erat non esset: addidit, quod pro uobis tradetur. Ac si diceret. Nolite dubitare, nolite hoc uel illud uobis fingere, nolite aliud & aliud cogitare: quia hoc est corpus non alterum, aut alterius, sed meum, non permutatum, uel nouiter creatum: sed quod pro uobis tradetur, pro uobis crucifigetur, pro uobis morietur.

Sic

Sic & de calice. Hic est (ait) sanguis. Non bouis aut arietis, non agni aut cuiuslibet hominis: sed meus, non alius uel noua creatione productus, sed qui pro uobis fundetur, flagellis prouocatus, clauis extortus, lancea excussus. Quid ad demonstrandam ueritatem corporis & sanguinis domini, dici potuit, clarius, lucidius, manifestius?

Atqui Sacramentarij hactenus nihil tale uident.

Nonne & longe ante passionem commendans magnificum & salutare sacramentum discipulis & Iudæis sæpe dicebat. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis, & Panis quem ego dabo caro mea est, & Caro mea uere est cibus & sanguis meus uere est potus? Hoc quare? ut dum nomine corporis, circa diuersa corpora cogitando uagaris: audito carnis nomine, ab innumera corporum multiplicitate reuoceris. Rursus audito nomine filij hominis, non alterius alicuius carnem existimes: nisi illius, qui cum esset dei filius, singulari gratia, solitaria operatione, factus est hominis filius. Vnde quia tenacissime recolendum, quia unice amplectendum est, tantum tantæ misericordiæ opus, tacito sæpe nomine filij dei quod pro se est, nomen filij hominis frequentat, quod pro nobis est. Idcirco uocat carnem, ne quodlibet corpus putetur, idcirco filij hominis, ne alterius quam sua estimetur.

Ioh. 6.

Sed forte impossibile putatur, ut uel panis in carnem, uel uinum commutetur in sanguinem. Fortassis & hoc cogitatur, illius unius corporis Christi finitam satisq; modicam quantitatem, morsibus totius mundi, per tanta secula non posse sufficere. Hoc enim est quod quondam Berengarium dixisse audiui. Nam forte Andegauis constitutus, & de hoc corporis Christi sacramento cum quibusdam agens,

Transsubstatiatio.

Berengarij obiectio & blasphemia.

agens: si (inquit) corpus Christi tantę fuisset magnitudinis, quantæ Turris hæc quæ in conspectu nostro immensa mole attollitur, a tot totius orbis populis comestum, ante multa iam annorum spatia defecisset. Quantum peruersus, tantũ peruersa locutus. Sed quid respondendum est eis qui nihil uolunt deum posse, nisi quod possunt, nihil scire, nisi quod sciunt, nil agere, nisi quod agunt? Quid respondebitur eis qui æternæ sapientiæ altitudinem, qui diuinæ uirtutis omnipotentiam sic coartare nituntur, ut si eis assensus præbeatur, sapientia dei & omnipotentia pereunte, Deus iam Deus esse non possit? Quid dicetur surdis, & audire nolentibus per Prophetam clamantem, Quis cognouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit? & in alio loco. Quæ est uia sapientiæ, aut quis locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium uiuentium: Et alius. Quis transfretauit mare, & adduxit eam, & attulit super aurum electum? Nonne a mari usq; ad mare, ab ortu solis, usq; ad occasum totus mũdus insonat, Omnia quæcunq; uoluit dominus, fecit in cœlo, & in terra, in mari & in omnibus abyssis? Et quis uniuersa enumeret?

Demus Deũ aliquid posse, & nos inuestigare non posse, ait D. Aug.

Esa. 11.

Iob. 28.

Baruch. 3.

Psal. 134.

Sed aspice teipsum quicunq; supernis miraculis non credis, o homo, attende prius sapientiam & uirtutem tuam, & demum incipe pensare diuinam. Certe gradus faciens in creaturis suis deus, & alias aliis preferens, alias aliis subdẽs, omnem tibi corpoream creaturam subdidit, & ratione, q̃d nulli corporeæ substantiæ prestiterat, insigniuit. Vnde uirtute plurimas, sapientia uniuersas exuperas. Quantis enim repentibus, uolucribus, quadrupedibus, potentia superior sis agnoscis. Quod terrenis omnibus scientia antecellas, nõ dubitas. Prælatus es ergo mundo, sed prælatus est tibi conditor mundi. Prælatus est tibi sapientia, prælatus est tibi potentia.

Homo cæteris præstat, homini Deus

tentia. Sapientia: quia tua maximis angustijs coartatur: illius uero, attingit a fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Potentia quia tua quottidie, & multi formiter succumbit: illius (ut dictum est) quæcunque uoluit fecit. Sap. 9

Esto ergo deo tuo, quod est iumentum tuum tibi. Non nititur illud perscrutari secreta tua: non coneris temerare arcana dei tui. Nescit illud quomodo disponas iter, qualiter ordines bellum, quos primos, quos medios, quos ultimos in certamine constituas: quo consilio post multum sanguinem paci adquiescas, quomodo rei familiari, donui, coniugi, natis, familiæ, ne egeant prouideas. Et ut maiora (quia sic res postulat) aggrediar ignorat quo tempore semina seri, quo sata, & aucta meti debeant: quo uites plantari, quo putari, & purgare debeant: quid uer, æstas, autumnus, & hyemps inuicem commune, quid proprium habeant. Non aduertit qualiter mentis uiuacitate, non tantum terrena, sed & cœlestia comprehendas. Lunæ, Solis, Mercurij, Veneris, Martis, Iouis, Saturni, quæ sunt antiquæ superstitionis uocabula, aliorumq; syderum cursus, loca, tempora, distinguas annorum mentium, dierum, horarum, particularum, punctorum quantitates, & spacia dijudices: qualiter calore, frigore, humore, siccitate, uel dilatent, uel contrahant, uel humectent, uel de siccent res humanas, rationis subtilitate discernas. Non disputat de cogitationibus tuis, non de uerbis tuis, non de operibus tuis. Iudicat, non intellectu sed natura, aliquid tibi concessum esse quod ipsi penetrare non liceat. Et idcirco quamuis nihil horum intelligat, non murmurat, non recalcitrat, non sibi uniuersa pandi ratione expostulat: sed tibi domino obediens imperanti, absque quæstione, his quæ iubentur obtemperat. Nota contra curiosos scrutatores.

Fac Deo quod tibi facere uis asinum tuum. Psal. 71. Eccle. 3.

Docet (ut de uilioribus loquar animalibus) Asinus tuus quid te uelit facere dominus deus tuus: cuius si secreta penetrare uolueris, eius iumentum esse non poteris, de quo Psalmus. Vt iumentum factus sum apud te. Serua ergo deo tuo, quod tibi uis seruari ab asino tuo: neque altiora te quæsieris, uel fortiora te perscrutatus fueris: sed ea cogita semper, quæ deus præcipit, & in multis operibus eius ne fueris curiosus. Et sicut idem Salomon ait. Comede mel quod sufficit: ne forte satiatus euomas illud: quia secundum eundem. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. Itemque. Auerte oculos tuos a me, quia ipsi me auolare fecerunt. Et iuxta Dauid. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur deus. Hæc omnia maiestati dei superbiam tuam, sapientiæ dei stultitiam tuam, uirtuti dei infirmitatem tuam (ut dignum est) subijciunt: neq; aliquid contra ipsum stultum loqui, uel non audendum audere permittunt.

Prouer. 25. Can. 5. Psal. 63.

Sed licet autoritatibus, & ratione obstructum iam debeat esse os loquentium iniqua, ne insipientiam uel imbecillitatem creaturæ, creatoris sapientiæ uel uirtuti audeant comparare: subijciantur tamen exempla, quibus (si omnino bestiæ aut impij non sunt) eorum non solum auribus sed & oculis satisfiat.

Ratio inuicta pro Trãssubstantiatione.

Vide igitur quisquis in sacramento Ecclesiæ panem in Christi carnem, uinum in eius mutari sanguinem, aut non credis, aut dubitas, quia uel de uoluntate eius, uel de potentia, uel de utroque diffidis. Nulla enim res alia te uel ad non credendum uel dubitandum impellit. Aut enim uoluit, & non potuit, aut potuit & non uoluit, aut neque uoluit neque potuit. Sed quod uoluerit, si Euangelio credis, dubitare non potes. Nam in sui memoriam hoc fieri non præciperet, si hoc fieri noluisset. Quod uero potuerit, si prophe-

prophetæ credis, certum tenebis. Nam si omnia quæcunque uoluit fecit: utique & hoc quia uoluit, fecit. Voluit ergo, & potuit, ut panis in carnem suam: & uinum conuertatur in sanguinem suum. Et quia uoluit, & potuit: idcirco & fecit. Si enim deus omnipotens est, & Christus deus est, sequitur quia ad conuertendum panem in corpus suum. & Vinum in sanguinem suum, omnimodè, sicut & ad uniuersa, potens est. Et, quamuis omnipotentia dei cuncta hostilia munimenta dissoluat: sequantur tamen (ut dictum est) exempla, quibus etiam brutæ pecudes adquiescere cogantur.

Quid inquam dicis, qui ueritati tam lucidæ contradicis? Non credo, ait ille, dubito, dicit iste: quod panis altaris in carnem, uinum conuertatur in Christi sanguinem, quia alterius generis substantiam, in alterius substantię genus conuerti, mihi nouum atque insolitum est. Nouum, quia nunquam factum est, insolitum, quia nunquam uisum est. Si recolere, inquam, uolueris præcedentia tempora, quod dixisti nouum, uetus esse reperies, quod dixisti insolitum, usitatum esse cognosces. Relege (ut ait Ambrosius) uirgam Moysi mutatam in serpentem, recole aquas Aegyptiacas mutatas in sanguinem, & si agnoueris diuersas substantias serpentis & uirgæ, aquarum, & sanguinis, ab opinione male concepta resipisce.

Exemplis scripturæ ueteris probatur possibilitas transsubstantionis panis in corpus Christi.

Ambro. de sacramentis lib.4.c.4. Et de mysterijs initiandis c. 9.

Nec poteris dicere magica illa fuisse figmenta, quia nec deus erat, ut magister magicarum artium Satanas, nec Moyses, ut Iamnes, & Mambres, licet enim illi dracones fecerint, aquas mutauerint, muscas maiores produxerint, ad minores tamen muscas, hoc est Ciniphes, deficientes dixerunt. Digitus dei est hic: Non enim quæ faciebant, uera erant, sed phantastica, quia non res ueras, sed earum

2. Timo.3.

Exo.8.

Magi phantastica, Moyses uera signa fecit.

imagines humanis oculis potentia magica ingerentes, hominibus imperitis, & infidelibus illudebant. Quæ uero per Moysen a deo fiebant, non falsa erant, sed uera: non imaginaria, sed realia: quoniam, & ab autore ueritatis ueracia, & a patre mendacia mendacis signa fieri oportebat. Idcirco, & falsus anguis & falsus sanguis magorum fuit, & uerus serpens, & uerus cruor a Moyse de uirga, & flumine mutatus extitit.

Secundo exemplo & miraculo Christi. Ioh. 2.

Recole & saluatoris illud primum, & singulare, totiq; mundo notissimum miraculum, quo aquas in uinum non phantasticum, sed uerum & bonum mutauit, teste, Architriclino, qui dixit sponso. Seruasti uinum bonum usque adhuc. Huius generis miraculis, ueteris ac noui testamenti initia, omnipotentis prouidentia ideo insigniuit, ut contra utriusque legis maiestatem se agere congnosceret, quisquis res in res, hoc est substantias in substantias, uirtute diuina posse mutari, negaret.

Tertio exemplo mutationem medij interstitij aeris.

Post Moysi & Christi tam solennia, & nota miracula, perhibeat mundus ipse testimonium ueritati, & ad hoc ostendendum niues, & grandines, nubes & elementa producat. Arguat incredulos, & iam eos non auribus credere, sed oculis cernere dubitata compellat. Ostendat alia atq; alia ex alijs atq; alijs multimode, & multi formiter assidue creari, immo ex creatis in alias, et alias creaturas mutari, Doceat aeriam puritatem quottidie in nubium crassitudinem densari nubes ipsas pene assidue defluere in imbres, mollescere in niues, durari in grandines, flammari in ignes, & in his omnibus, diuersas ex substantijs substantias, uarias ex speciebus species, non tantum uidentibus ad cernendū, sed etiā cæcis ad palpandum creari. Descendat hinc de cælis ad terram

ram curiosus oculus, & miracula quottidiana quæ non miratur, obstupescat. Videat quam sit stulta incredulitas, quã cæca dubitatio: uel non credere, uel dubitare panem in Christi carnem, uinum mutari in eius sanguinem uirtute diuina: cum per eandem multa sæpe commutentur in aliud, in rerum natura. Nonne Coralius lapis de ligno fit lapis: cum diuersa sit substantia ligni & lapidis? Nonne Reguli puluere æs in aurum mũtatur, quæ duo licet in metalli nomine conueniant, in natura tamen ualde dispaira sunt? Nonne phœnix quingentorum annorum (ut dicitur) auis inter aromata succensa moriens, de solo puluere reuiuiscit cum alia pulueris, alia iam sit substãtia auis? Et ne forte ista inusitata uel incognita sibi esse causetur, attendat usitatissima & quottidiana, & sic, etiam si negligenter attenderit, dubitare cessabit.

Quarto exemplo terrestrium multiplici.

Ambro. Hexame. lib. 5. Cap. 23.

Et ut melius suis manibus, quam alienis operibus adquiescat de fæno uel silice arte notissima diuersissimæ naturæ uitrum conficiat: sicq; (ut sic dicam) non diuina sed sua miracula admiretur: Cernat liquidissimum & fluidum aquæ elementum, brumali apud nos, omni autem tempore apud Norjcos & Schytas, in glatialem testam tenacissime congelari: in alpibus etiam & multis terrarum partibus usq; adeo obdurari, ut de aqua lapis fiat, & Cristallus dicatur: quæ est glacies multos durata per annos. Consideret de eodem Crystallo uel uase uitreo, & perspicuo aqua repleto, cum solis radio apponitur, contra complexiones elementorum, ignem exire, Cum Crystallus frigidus & siccus, aqua (quod plus est frigida & humida: ignis calidus & siccus esse probetur. Intueatur ipsũm simul orbem terrarum: qualiter de hoc informi & infimo terræ elemento tam diuersa in substantijs, uaria in qualitatibus, in coloribus multiformia, in uirtutibus

Quinto, per exemplum Vitri et Crystalli.

August. in Psal. 174.

Crystallus.

bus multiplicia, iussu conditoris assidue procreentur, quæ si per singula considerentur, uictus rerum infinitate, ante considerator quam consideranda deficient.

Sexto per exemplum quotidianũ in homine. In quo panis in carnẽ mutatur.

Sed quid ad conprobandam ueritatem de pane mutatæ carnis, & de uino mutati sanguinis Christi, exemplis immoror: cum quotidie ipsum de quo agitur, panem in humanam carnem conuerti, uinum in humanum sanguinem mutari uideam: itaq; hoc manifestum sit, ut ad hoc asserendum non fidem consulere, sed oculos aperire necesse sit? Testis est mundus, testis est omnis homo: maxime cum sine hac mutatione panis in carnem, & uini in sanguinem, nec unus possit subsistere homo. Sunt quidem multi qui absq; pane, sunt item plures qui absq; uino uitam mortalem transigunt: sed longe pauciores illis, qui semper pane, interdum uero & uino utuntur. Idcirco propter maiorem partem, totum significare uolui, cum dixi absq; mutatioñe panis in carnem & uini in sanguinem, nec unum posse subsistare hominem.

Panis & uinum in usu hominum.

Re enim uera maior pars humani generis, pane principaliter uiuit: uino solennius utitur, quod & omnes homines facerent, nisi quibusdam in regionibus frigidis uites, in frigidioribus fruges, terrarum sterilitas ademisset. Hoc tamen certum est, omnes homines nisi infra annos sint, aut ualetudine teneantur, aut uti, aut posse uti pane & uino. Sed qui infra annos sunt, aut contraria ualetudine detinentur, non possunt quidem per imbecillitatem, sed possunt tamen per naturam. Hoc igitur aut illo modo, pane & uino utitur omnis homo. Vnde in omni homine natura operatur, quod de solo Christo homine, aut scrupulosi dubitant, aut infideles non credunt. In omni plane

homine,

homine per digestionem cōgruam, natura operatur: quod de Christo solo homine, per consecrationem diuinam fieri dubitatur. Operatur sane natura per digestionem in corpore humano: ut panis in carnem, uinum conuertatur in sanguinem, dum (sicut sciunt hi qui uel leuiter rerum humanarum scientiam attigerunt) defecatiorem ac puriorem suscepti cibi, uel potus partem a feculenta segregans, singulis corporis membris ad nutriendam, confouendam, adaugendam carnis & sanguinis substantiam, impertit: ignobiliorem, nec corpori necessariam partem, per egestionē ordinatam respuit.

Ciborum in singula membra partitio.

Fit igitur hoc modo omnibus notissimo de pane caro, de uino sanguis, & hoc non in uno homine, sed in omni homine: nec in uno tempore, sed in omni tempore. Quare ergo non creditur, quare dubitatur, deum hoc posse per uirtutem, quod potest natura per digestionem? An potuit illud deus dare humanæ origini, & non potuit restaurationi? An potuit illud constituere creans hominem, & non potuit hoc facere redimens hominem? An debuit illud fieri cum homo a deo plasmatus est, & non debuit, cum homo a deo susceptus est: Cesset ergo infidelitas, sanetur dubietas, quia omnipotens uerbum dei, per quod omnia facta sunt, sicut quottidie facit, ut per comestionem & digestionem humanam, panis in carnem, et uinum uertatur in sanguinem multorum filiorum hominum: sic quottidie facit, ut per consecrationem et uirtutem diuinam, panis & uinum commutetur in carnem & sanguinem suum: hoc est, unius filij dei & hominis, non multorum filiorum hominum. Qui enim dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt: qua potentia facit hoc uniuersaliter in alijs, eadem potentia facit

Clarissima probatio Transubstantiationis.

hoc

hoc singulariter in seipso, ut mutatio substantiarum, quę hominibus solebat conferre mortalem uitam, nunc eisdem hominibus, sed fidelibus conferat sempiternam. Sed quid mirantur homines deum facere aliquid de aliquo: cum in principio creauerit cuncta de nihilo? Nam longe maius est (ut dicunt sancti patres Ecclesiæ) non subsistentia creare, quam ex subsistentibus alia atq; alia formare.

Cur nõ mutantur species rerum sicut substantiæ in sacramento altaris.

Sed forte aliquis e contra. Non potest quidem negari res in res multis modis conuerti, sed in his quando substantiæ in substantias mutantur, species quoq; pariter cõuertuntur. In hoc autem sacramento etiam si substantia mutetur, forma tamen non mutatur. Et possem quidem dicere fastidiosissime ista requiri, cum totam omnipotentiam sibi uendicare uelit impotentissimus homo, & totam sapientiam insipientissimus homo, maxime cum certa ratio sit, & pene omnibus manifesta. Cur mutata substantia, non mutetur pariter & forma. Sed quia necesse est, talia cuncta pati, ut hominibus tertij cœli arcana rimantibus satis fiat, dentur & inde exempla, ut sicut ostensum est mutari in rerum natura species cum substantia, sic etiam ostendatur mutari aliquando substantias, non mutata pristina forma, Et ne sit necesse ad inquirenda peregrina exempla, qualescunq; uires animi fatigare, de quibusdam suprascriptis, & ad præcedentia probãda prolatis exempla trahãtur. Ex quibus inuisibilium fides, rerum uisibilium exemplis, uera esse, ut creditur, ipsis corporis sensibus demonstretur. Consule ergo ipsos carnales oculos tuos quicunq; carnem Christi sub sacramento panis, quicunq; sanguinem Christi sub sacramento uini latentem miraris, & non mutata panis ac uini specie, ipsarum rerum mutatam in aliud naturam stupescis.

Consule inquam oculos tuos, & licet indignum sit, eorũ iudicio,

iudicio, iuxta ipsa uisibilia, ueritati inuisibilium adquiesce.

Aspice aquam in glatiem commutatam, glatiem in Crystallum alteratam: & cernes in his aperte substantias per mutari, formas substantiarum seu species reseruari. An non uides glatiem ex aqua frigore obduratam, glatiem ipsam in Crystallinum lapidem, eodem diutius continuato rigore, per mutatam: substantia in aliud quam fuerat translata, formam pristinam conseruare? An non cernis præter glatialem duritiam, præter lapideam firmitatem (quantum ad speciem uel perspicuitatem iam dicti elementi pertinet) nihil utiq; substantiæ detractum? Non uides hic in testam, uel lapidem commutatam priorem substantiam: illic formæ, uel speciei prioris claritudinem conseruatam? Quod si curiosius quod dico cognoscere libuerit, admoue manus, acue oculos, & simul coram positis aqua, glatie, uel Crystallo quæ tamen non delimosa uel lutea, sed de lucida, & defecata aquarum stilla concreta fuerint, cum æque per spicua cuncta perspexeris, agnosces tactu, mutatam esse substantiam, agnosces uisu, reseruatam esse pristinam formam. Quod si hæc tria seorsum posita, ad probanda quæ dico non tibi integre satisfecerint, iam ea seorsum noli ponere, sed ipsam glatiem uel Crystallum, fluidæ aquarum puritati, uel integra, uel fracta commisce, & cum eandem claritatem lucido lapidi, quam fluido elemento inesse perspexeris, substantiam mutatam intellige, originalem formam agnosce. Hinc Hieronymus noster, quem ne uester esset, o heretici respuistis, in libro 15. super Esaiam. Portae autem istius ciuitatis, de lapide sunt Crystallo, qui sculpitur uarijs modis, quo lapide nihil purius est. Deniq; uehementissimis alpium frigoribus, & in accessis soli speluncis, cōcrescere aquę dicunt in Crystallum, & tactu quidem lapidem, uisu aquas esse.

Hic satis sit obiectioni per exēpla.

Exemplum de aqua in crystallum mutata.

Sal perlucidum in montanis Hispaniæ.

Simile quod,dam in Orientalibus Hispaniæ partibus rerum natura profert exemplum immo quãtum ad remotiorem hominum cognitionem proponit miraculum, quod prius audiens uix credidi: sed post,quod audieram, uidens, dubitare non potui. Extant in regionibus illis, salita (ut ita dicam) uel salsa montana quæ pro saxis uel rupibus lapideum sal continent,sicq; perlucidum,ut quia gemmam præciosorũ lapidum claritatem æmulatur,salis gẽmina uocetur. Quod tam perspicuitate quã utilitate, marino,puteali, omniq; sali præpositum,de montanis illis multo labore ab incolis eruitur,et remotis quibusq; pro magno munere daẽ, aut pro magno lucro uenditur. De quibus montibus cum diutinus rusticorum labor lucri auidus,multam lucidi illius lapidis quantitatem eruerit: & eruendo fossas multas eo sale inanes reliquerit, processu temporis pluuiali inundatione fossarum illa uacuitas repletur: ac repleta post paululum in naturam illius,cui admiscetur lapidis commutatur. Tali recompensatione effossus mons pene annuatim, damna illata restaurat: & quicquid de lapide amisit,aqua in lapidem conuersa compensat. Fit ergo cœlestis aqua lapis terrenus: quæ licet naturalem mollicíem in lapideam duritiam commutans,in alienã substantiam transeat,formam tamen priorem seu speciem,sicut de Crystallo supra dixi,conseruat. Sed sicut nec de omni glatie,nec de omni Crystallo hæc dixi: sic nec de omni montis illius lapide hoc dico,sed de illo qui nõ de cænosa,sed de lympidissima concretus aqua,originis suæ claritatem,etiam in aliud mutatus non mutat.

Exemplum de mutatione uini in acetum.

Addatur & aliud non contemptibile,immo rei, de qua agitur,satis congruens,de aceto exemplum: ut quod in sacramento passionis Christi,ut pote ad aliquid necessarium nõ defuit,in sacramento quoq; corporis Christi, de quo sermo

est,utiq;

est, utiqꝫ ad aliquid utile non desit. Apparet enim in illo quæ dam, & si non substantialis, tamē accidentalis mutatio: quia dum ex naturali uel dulci mero, innaturali acredine assumpta acescit: non substantiam (ut dixi) sed qualitatem commutans, accidentia sola permutat, speciem priorem reseruat. Nam quod erat prius calidum et siccum, una qualitate mutata, fit frigidum & siccum. Vnde si uisus iuditio adquiescat non nisi uinum naturale credetur. Si gustus accedat, acetum in naturale probabitur. Quæ ergo causa uel non credendi, uel dubitandi tibi o cælestium arcanonorum scrutator, iam remanet? Cum quod de altaris sacramento credendum, fides interior imperabat, exemplis indubitatis sensus exterior, non iam credere, sed dubitata cernere compellat? Fit de aqua glaties, de glatie lapis, fit rursus de aqua eadem salitus uel salsus (ut supra dictum est) lapis in his omnibus substantia mutata, specie reseruata, fit de uino acetum, qualitate (ut dictum est) mutata, specie reseruata, uoluntatis diuinæ iussu sic operante, & non poterit de pane caro, & de uino sanguis Christi fieri, substantia, ut in illis permutata, specie reseruata, omnipotentis uerbi dei, per quod omnia facta sunt, uoluntate sic & imperio ordinante? An omnipotens ad illa potens creditur, & ad ista impotens iudicabitur? An natura, naturæ autore potentior ad illarum rerum substantiam permutandam, & speciem reseruandam censebitur, & ipsius naturæ conditor, ad substantiam panis, & uini, in aliud quam fuerat permutandam, & speciem quam habuerant reseruandam, infirmior æstimabitur? Et quia hoc sacrum, & salutare sacramentum aliud esse uidetur, & aliud est, per uirtutem uerbi diuini substantia (ut iam sæpe dictum est) mutata, specie reseruata, de mutatione quæ proposita sunt exempla sufficiant.

Epilogus exemplorū de Transsubstantiatione

Exempla rerum quæ aliud esse uidentur, & aliud sunt.

Sed de his adhuc aliqua proponantur, quæ in rerum natura aliud esse uidentur, & aliud sunt. Nonne cum uino perfunderis, uel illud gustu hauris, tactus renunciat, gustus affirmat, esse illud frigidum, & humidum, cum in sui complexione uel natura, nullo experto contradicente, sit calidum, & siccum? Nonne cum remum, uirgam uel baculum, uel quælibet similia aquæ immitis, eam quæ infra aquam est partem, uisus fractam esse renuntiat, natura tamen, quæ fracta esse uidentur, integra uel infracta conseruat? Nonne cum uultum proprium, uel alienum cum solem uel Lunam cœlum uel sidera, picturam uel corpus aliquod speculo lucido, uel aquæ quietæ opponis cuncta opposita in his tibi uidere uideris, cum nihil in his, quantum ad rerum ueritatem pertinet, nisi speculi uel elementi corpora uideas? Quod si licitum est, de illicitis artibus aliqua ad sacra cœlestia probanda proferre, nonne mechanica uel magica ars, quadam indulta a deo potentia, humanos oculos præstringens, quod non est, esse mentitur, & quod est, non esse fatetur? Nonne etiam ipsa somnia, sopitis exterioribus sensibus, humanas animas assidue fallunt, dum pene incessabiliter infinitas imagines, & phantastica ludibria eis ingerentes, uelant dormientibus eaque sunt, & prætendunt ea quæ non sunt?

Epilogus exemplorum iam dictorũ

Quia igitur uinum aliud esse uidetur, & aliud est, nam cum tangitur, uel gustatur, uidetur esse frigidum & humidum, quod non est, & nõ sentitur calidum et siccũ quod est, quia remus aquæ imersus fractus uidetur esse, quod nõ est, et integer non uidetur esse, quod est, quia corpus speculo uel aquæ oppositũ, corpus esse uidetur, quod non est, & non uidetur qđ est, quia magica uis, occulta arte, phantasticã diuer

sarum

sarũ imaginũ infinitatē oculis ingerit quæ non est, & rerum ueritatem talibus tegumentis cælat quæ est, quia somniorũ uisio, nō sensibus corporis, sed ipsi animo omne corpus per multiplicem uisionem repræsentat, quod non est, & talibus inuolucris regit illud quod est, quid mirum si omnipotentis misericordia dei, misereri miseri hominis, & hoc modo disponens, in altaris sacramento panis & uini speciem humanis sensibus reseruat, ut appareat, in ipso sacramento, panis & uinum quod non est, & lateat oculos carnis caro & sanguis, quod est? Possent dari de his & alia innumera exempla, sed quia longus esse refugio, nec ad assumptum propositum hoc pertinet, sufficiant quæ dicta sunt.

Quæ si cui non sufficiunt, consulat & perlegat de hoc sacramento magnorum uoluminum conditores. Quod si forte nec ipsi curioso animo satisfecerint, nescio quid aliud utilius persuadere possim, quam ut si Christianus est Christianæ fidei colla submittat: & si intelligere non potest, secundum sacræ scripturæ præceptum, credat, ut intelligat. Quia in his crassis tenebris ignorantiæ humanæ, non fides intelligentiæ fructus: sed intellectus fructus fidei est. Soluat ei omnes dubietatis nodos, de qua superius egi, potentia dei: Quia incredulitati nihil reliqui esse potest, ubi omnipotens mortalibus consulens, sic uoluit, sic potuit, sic præcepit, sic fecit cuius uoluntas, ratio: cuius omnipotentia indeficiens, cuius præceptum miseratio, cuius opus misericordia est. Sed quia de his iam satis esse potest: ad ea quorum causa, ista tetigimus, reuertamur.

Consiliũ piũ curiosis incredulisq; utile.

Agite ergo, o socij certaminis, quod cæperatis, & ne mēte exciderint, quæ dicta fuerant, iterate. Et quia de ueritate sacrificij Christiani sufficiētia, ut credo, dicta sunt: dicite cur idem sacrificium, hoc est (ut iam dixi) corpus & sanguinem

Iuge sacrificium usq; ad finem sæculi.

redemptoris ceteris inuidentes, discipulis qui cœnæ domi-nicæ illi famosæ & ultimæ, ante passionem interfuerunt, tm̃ & nunq̃ postea, nisi tunc datũ concedatis. Quod si differtis, sicut nunc usq; distulistis: probo nec illis tm̃, nec tunc tm̃ hoc datum esse, sed fidelibus cunctis largum munus, a largitore oĩm munerũ, usq; ad consumationem sæculi preparatũ. Sed ineffabiliter admiror, et admirãs obstupesco, Vnde opinio hęc innasci hominib. Euangelio dei (ut dicũt) credentib. potuit, cũ Christi uerba huic nouæ hæresi contraria sic ibi posita sint, ut si ea dubia uel obscura putãtur, nulla eis eloquia, uel pręcepta certa, uel perspicua esse uideantur. Quid enim certius, quid clarius dici potuit cõtra eos qui corpus Christi & sanguinem per sacramentũ tunc tantũ facta, tunc tantũ data astruunt, q̃ quod ipse Christus discipulis suis pręcepit dicens. Hoc facite in meam commerationem?

Hoc facite in meam cõmemoratio-nem.

Nam postq̃ dixit. Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, & accipite et bibite, Hic est sanguis meus: statim, q̃d dixi, adiũxit, Hoc facite in meam commemorationẽ. Quomodo ergo potest dici semel tantũ factũ, & semel pręsentib. datum sacramentũ, cum nullũ Apostolorũ excludens, nullũ tempus excipiens Christus dixerit: hoc facite in meã commemorationem? Quomodo igitur audet hæreticus dicere: Nolite hoc facere, cum Christus imperet, dicẽs: Hoc facite? Hoc plane, non aliud, hoc idẽ quod accipitis ad commedendum, quod sumitis ad bibendum: corpus scilicet meum & sanguinẽ. Hoc (inquam) facite in meã commemorationẽ. Quid ultra? quid ultra certe quęritis? Ecce hoc solũ & breuissimũ uerbũ, multa & prolixissima erroris uerba destruit, ut nisi ex superabundanti, nõ sit ulterius necesse quærere, unde nequam hostis debeat interire. Nõ enim solummodo dixit, accipite & commedite: uel accipite & bibite, sed addidit

dit quod accipitis et comeditis: quod accipitis et bibitis, hoc facite. Si hoc ita est, falsum est, quod a uobis, o hęretici, dictũ est, tunc tantum hoc sacramentum a Christo datum, tunc tantũ ab Apostolis susceptũ, quia quod fecit, eos facerę praecepit, quod eis distribuit, hoc eos alijs distribuere uoluit.

Sed fortasse his qui pręsentes tũc erãt, & a Christo ista audiebant, nõ alijs, haec huius sacramenti cõficiendi & dispensandi potestas data est. Quod si uerũ est: Apostolis tantũ & his qui audierunt a saluatore praeceptum est. Ite in orbem uniuersum, pędicate Euangeliũ omni creaturae: nec docere omnes gẽtes, nec baptizare alicui post Apostolos licuit. Sicut enim dictũ est, Ite docete, baptizate, pdicate sic dictũ est, Hoc facite. Vnde quicũq; post Apostolos pdicauit, docuit, baptizauit, quia nulli alij quam pręsentib. tantũ a Christo iussũ fuerat: malefecit quia nec eius doctrina Christi fuit: nec eius baptismus Christi fuit. Nã quod a Christo pręceptũ aut suasum non est: constat quia Christi non est. Sicut enim dicit Apostolus. Quomodo predicabũt nisi mittantur, sic etiam quomodo baptizabũt, nisi iniungatur? Quia ergo nihil in pręceptis istis, uel similib. a Christo discretũ est, aut date omnia haec solis tunc praesentib. & auferetis sequentibus cũ baptismo & altaris sacramento totum Euangelium, aut si baptismum & Euangeliũ sequentibus concesseritis, necessario & altaris sacramentũ concedetis. Si enim (ut dictũ est) nulla discretio in pręceptis istis facta est, aut simul omnia praesentibus tantũ iussa sunt, & sequentes exclusi sunt, aut si sequẽtibus aliquid horũ praeceptũ est, constat, quia & totũ iniunctum est. Aut igitur dabitis solis illis altaris sacramentum, & auferetis baptismum: aut si istis dederitis baptismum, uelitis, nolitis, dabitis & altaris sacramentum.

Refellitur obiectio.

Primo ratione.

Rom. 10.

Sed quid operosae disputationi operã impendo, cũ tanta de

b 4 facili

facili suffragatur autoritas: ut ea apparente, statim uana loquens conticescat impietas? Quid enim? Nunquid Apostolus Paulus cœnæ illi dominicæ, de qua loquimur interfuit? Nunquid quando discipulis dictum est. Accipite & comedite hoc est corpus meum, & accipite bibite, hic est sanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem: presens affuit? Quid tamen in Epistola. 1. ad Corin. dicit? Audite. Calix (inquit) benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus: nonne participatio corporis domini est? Nunquid & ipsi Corinthij, cœnæ illi, iam dictæ, interfuerunt? His tamen ait ipse Apostolus. Non potestis calicem domini bibere, & calicem demoniorum. Non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Videtis Apostolum post ascẽsionem domini ad fidem conuersum, calici benedictionis benedicere: eundemq; calicem communicationem sanguinis Christi uocare? Cernitis eundem panem frangere & ipsum panem participationem corporis Christi dicere? Auditis Corinthios posse quidem calicem domini bibere, sed nõ cum calice dæmoniorum? Posse mensæ domini participes esse, sed non mensæ dæmoniorum? Nec Apostolus tamen Paulus consecrans corpus & sanguinem domini, cœnæ domini interfuit: neq; Corinthij, idem corpus & eundem sanguinem, de mensa domini accipientes, eidem cœnæ interfuerunt.

Secundo refellitur autoritate et exẽplo.

1. Corin. 10.

Sed parum est audire de fractione cœlestis panis loquentem: nisi uideatis & frangentem. Vna die (ait beatus Lucas in Actibus Apostolorum) Cum conuenissemus ad frangẽdum panem, & Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum. Et quibusdam interpositis. Ascendens (inquit) Paulus, frangensq; panem & gustans, satisq; allocutus usq; ad

Exemplũ & factũ Pauli circa fractionem panis. Act. 20.

ad lucem, in crastinum profectus est. Sed siue hoc, quod ultimum posui, de cœlesti, siue de communi pane dictum sit, uidete (ut dixi) Apostolum, uidete Corinthios, qui cœnæ illi de qua agimus, non interfuerunt: & tamen corpus & sanguinem domini acceperunt.

Quod si non tantum de Apostolo, & Corinthijs, sed de uniuersis autoritatem Apostolicam uos conuincentem audire uultis: auscultate. Quicunque (ait) manducauerit panem uel biberit calicem domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis domini. Et consequenter. Probet autem (inquit) seipsum homo, & sic de pane illo edat: & de calice bibat. Quid uos ad ista? quicunque (inquit) manducauerit, quicunque biberit. Non hic uel ille, sed quicunque. Et probet seipsum homo, non tantum Corinthius homo, non Romanus homo, non Grecus homo, non latinus homo, sed homo. Et quid aliud quam omnis homo? Nam quod indefinite posuit, quid aliud quam infinitum hominem ostendit Ostendit igitur non unum hominem, sed omnem hominem, quia in singulari hominis numero, pluralitatem intelligi uoluit omnium hominum. Quod si ita est, immo quia ita est, error impius non tantum mortuus, sed etiã sepultus est. Si enim constat, hoc non de quolibet homine, sed de omni homine ab Apostolo dictum, falsum est quod a uobis dictum est, de his tantum qui cęnæ domini interfuerunt hoc dictum esse. Sed uerum est autoritate Apostolica hoc docente, non hos tantum de quibus conceditis, sed quemcunque, hoc est, omnem hominem manducare panem domini, & bibere calicem domini, hoc est secundum eundem Apostolum, corpus & sanguinem domini. Igitur falsum est quod dixistis, illos tantum qui cænæ paschali interfuerunt, potuisse accipere corpus & sanguinem domini.

Verba Pauli uniuersaliter posita.
1. Cor. 11.

Quotiensc&#0;unque sumitis. Id est, quocunque tempore.

Et licet in hoc quod probatum est de omni homine, probatum sit, & de omni tempore, audite tamen utrum huius sacramenti conficiendi, & sumendi potestas, illi tantum tempori, quo cæna illa celebrata est, data sit. Loquens enim idē Apostolus de hoc sacramento, & inde fidem pariter & mores instruens, introducit Christum discipulis dicentem: Hoc facite, quotienscunque sumitis, in meam cōmemoratiōem. Et subiungit Apostolus uerba sua, & dicit his quibus loquebatur. Quotienscunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec ueniat. Quid dicetis ad hæc: qui dicitis, semel tantum hoc factum, & datum sacramentum? Dicitis, uos semel tantum, dicit Christus, & Apostolus eius: non semel, non bis, non ter, aut quater, non centies, aut millies tantum: sed quotiescunque. Multa diuersitas, inter semel & quotiescunque. Hic numeri principium, ibi numerus omnem exuperans numerum. Hic singularitas, ibi multiplex infinitas. Sed (ut dixi) uos dicitis semel: Christus & Apostolus eius quotiescunque. Vnde uidendum, nec multo conamine opus est, cui melius credendum sit, uobis an Christo, hominibus an deo, ueritati an mendatio: Sed quid multa? Audistis hoc corporis & sanguinis Christi sacramentum, omni fideli homini datum, audistis absque numero datum, audite & omni præsenti datum tempori. Quotienscunque (ait Apostolus) manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem domini annunciabitis donec ueniat.

Suffecerat Apostole dei, ad confundendam, & destruendam nouam hæresim, quod dixeras Christum dixisse, Hoc facite quotienscunque sumitis in meam commemorationem. Suffecerat quod ipse domini tui uerba sequendo, exponendo subiunxeras: quotienscunque manducabitis panem hunc,

& cali-

& calicem bibetis, mortē dñi anunciabitis. Sed quid adiunxisti? donec ueniat? Quis ueniat? An forte mors dñi? Nō. Nam hoc & tu apertissime negas: cum dicis. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. Quis ergo ueniat? Certe ipse dominus quem nominaueras, cum dixisti: Mortem domini anunciabitis. Sed quando ueniat? Quando, nisi quando uenturus est iudicare uiuos, & mortuos, sicut ipse prædixit, Et ecclesia eius credit? Sed & hoc quando? Quando, iuxta quod & ipse dicit, uenerit in fine sæculi in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, Donec ergo ueniat in fine sęculi: dedit hoc sacramentum corporis, & sanguinis sui, fidelibus per omne tempus huius sęculi, id est usque ad consumationem seculi. Obmutescat ergo hæresis quæ dicebat, datum esse hoc tantum in cæna domini. Si enim usque ad consummationem seculi, non tantum usque ad cænā domini: sed cogentibus prædictis autoritatibus, datū est usq; ad consumationem seculi. Non igitur tm̄ in cæna dñi.

Donec ueniat.

Rom. 6.

Math. 25.

Iam illud; quod non modo ab incredulis opponitur, sed & a fidelibus quæritur, cur hoc sacrificium toties iteratur, cum Christus semel in cruce oblatus ad tollenda totius mundi peccata sufficiat: maxime cum non hic aliud, & ibi aliud, sed hic & ibi idem prorsus sacrificium. Hoc est idē Christus offeratur uidendum est. Si enim illud in cruce suffecit, superfluum hoc in Altari uidetur. Sed non est superfluū, quia certa de causa a dei filio (qui est iuxta Apostolū dei sapientia) factum & traditum est. Quæ sapientia, quia sume rationabilis, imo totius rationis fons, & perfectio est, nihil agere, nihil iubere irrationabiliter potuit. Vnde cum hoc dixit, cū hoc sacramentum suis tradidit, non absq; certa ratione (ut certū est) fecit. Quę sola omnibus ratio satisfacit, quicunq; Chrm̄ huius sacramenti autorem, deum et dei esse sapientiā credūt.

Questio de iteratione sacrificij, cum semel tantū Christus sit oblatus.

1. Corin. 1.

Rom. hic datur, cur reiterandum sit sacrificium.

Placuit tamen largitori tanti muneris causam reddere tantæ largitionis. Quam causam, dando ipsum sacramentum, aperuit. Nam postquam dixit, hoc facite, statim addit, in meam commemorationem. Hæc est ergo causa sacramenti, commemoratio Christi. Nouerat Saluator quid fecerat, quid facturus erat propter hominem, nouerat singulare opus quod gesserat induendo hominem, nouerat stupendum quod gesturus erat moriendo propter hominem. Sciebat hoc se opere saluaturum hominem: sed absque huius operis dilectione nullum saluari posse hominem. Sciebat quia humanitatis, & mortis suæ opus, sicut super omnia opera sua summe celebratum, sic mortalibus pro quibus fiebat summe erat commendandum. Commendandum erat, utpote cuius caro pro illis torquebatur, Cuius anima pro ipsis tristabatur: cuius nouissime mors, illorum uitæ minstrabatur. Hoc certe solenniter cōmendandum erat, ut Christus diligeretur, dilectus haberetur, habitus nunquam perderetur. Sed hæc eius dilectio ab hominibus seruari non poterat memoria pereunte, nec fugax memoria diu retineri ualebat, nisi signo congruo apparente. Ne igitur a corde fugeret, quod maxime cordi inesse oportebat, signo rei congruente, ueluti fune insolubili colligata est cordi memoria, quo fortiter uinciente, semper redemptus, redemptionis pretium cogitaret, indeque redemptori agens gratias, fide quæ per dilectionem operatur, nequaquam se ingratum tantæ gratiæ demonstraret.

Insignis memoria mortis Christi in uisibili sacrificio isto.

Et posset quidem mentibus humanis, huius rei utrumq; absque signo uisibili inesse memoria sicut multarum rerum tam diuinarum quam humanarum recordatio, fama, lectione, doctrina, in eis, aut gignitur, aut conseruatur sed quia iuxta quendam Segnius irritant animos

Horatius.

demissa

demissa per aurem, quam quæ sunt oculis subiecta fidelib. Et res tanta erat, ut ad eam cogitandam, amandam, amplectendam, non segniter, sed insigniter humani animi mouendi essent: dignum & iustum fuit, ut humanitatis & mortis Christi memoria, non tantum auditu per aures: sed etiam uisu per oculos iuuaretur. Ea de causa signum hoc a Christo propositum est, quod ita signum est, ut sit tamen idem quod signat.

Signum & signatum, idem.

Hoc autem contra ueteris sacrificij multiplicitatem ✱ quæ in nullo erat idem quod signabat propter hoc, quod illud sacrificium erat, & istud sacrificium est, & illud deo offerabatur, & istud eidem deo offertur, Signabat uero addo illud hoc nostrum nostri temporis sacrificiū, sed non erat hoc quod istud: quia illud umbra, hoc corpus: illud figura, hoc ueritas: illud de cadaueribus & cruore animalium, hoc de corpore & sanguine filij dei. Idcirco non erat idem quod signabat. Sed istud nostri sacrificij signum, non aliud sed ipsum est, quod signat.

Alias ✱ qđ Differencia inter nostrū & Ve. testa. sacrificia.

Ita uero est idem quod signat, ut quantum ad corpus, id est, ad ueritatem carnis & sanguinis Christi pertinet, sit idē quod signat. Neq; enim ibi Christus, ut olim, dolores aut mortem patitur, cum tamen immolari dicatur. Dicitur autem immolari: cum licet inuolabiliter in altari frangitur, diuiditur, comeditur: cum his & quibusdam alijs signis, inquantum fieri potest, mors domini maxime repræsentatur. Vnde sicut dixi: quantum ad ueritatem corporis & sanguinis Christi pertinet, est idem quod signat, quam tamen maxime signat. Maxime autē dixi, quia hoc apertissime Apostolus dicit in uersu quem supra commemoraui. Quotienscunq; (ait) manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis.

Quomodo idem sacrificium in cruce & in Altari.

Quomodo immolatur in altari.

Cur mortē Domini annunciamus in hoc sacrificio.

Quare hoc? quare non similiter, o Apostole dei, dixisti, Incarnationem domini, Natiuitatem domini, Circumcisionem domini, Baptismum domini, uel quod magis uideretur, Resurrectionem domini, Ascensionem domini, quādo dixisti, mortem domini? Quare illa quæ gloriosa uidentur, dimisisti, & quod erat ignominiosius elegisti? Vt (inquit) ostenderem in morte domini singulariter constare salutem mundi: ut ostenderem istud opus eius, præponderare omnibus operibus eius, ut ostenderem tormento illo, requiem: ignominia illa, gloriam: morte illa, mortuis redditam uitā. Ita plane & iuxta Apostolum, quando manducatur panis domini, id est corpus domini, quādo bibitur calix domini: idest sanguis domini, anunciatur, hoc est repræsentatū mors domini, quam passa est in cruce, non alia, sed eadem quæ est præsens caro domini, qua fusus est non alius, sed idem qui sumitur sanguis domini. Quod cum fit, ad hoc utiq; fit, ut mens longe uehementius excitata, corporis domini susceptione, quam posset excitari uerbi domini admonitione: in amorem eius quem non tantum audit, sed etiam uidet & suscipit, inardescat, & uidens uerbum carnem factum ut habitaret in nobis, habitans etiam corporaliter, & in se, obliuisci iam nullatenus possit, quem fide credit, amore amplectitur, manu contrectat, ore suscipit. Quem quondam pro se mortuum, ipsa susceptione recolens: & morte illa uitam sibi paratam agnoscens, a mortis operibus abstineat, & sic eidem Christo domino suo, immortaliter iam uiuenti, in sempiternum conuiuat. Hoc igitur Ecclesiæ sacramentum, quoniam sic assidua sui repræsentatione memoriam innouat, fidem auget, spem roborat, Charitatem confirmat: non superfluum sed ualde necessarium est. Ea propter (ut di-

ctum

ctum est) dominus hoc in sui commemorationem iussit: eā de causa, mortem domini isto sacramento denunciari, Apostolus docuit, ut Christi ac mortis eius memoria auelli de cordibus humanis, nulla mundi inquietudine, nulla temporum prolixitate ualeret.

Quæ memoria amorem excitās, de animi recessibus mala omnia effugaret, uirtutibus uniuersa repleret: sicq; quotidie per hoc sacramentum innouans redemptionem, quotidianam pænitentibus peccatorum gigneret remissionem. Soluit quidē & plene tollit peccata mundi agnus dei in cruce immolatus, nec tamē idcirco (ut dixi) superfluus est in altari oblatus. Et ut in te ipso, a te ipso hoc discas, aduerte quicunq; hæc legis, teq; ipsum interroga, quando magis mouearis, si tamen quod profiteris firmiter credis: utrum quando dicitur; Christus olim inter homines apparuit, an quando dicitur. Christus nunc inter homines conuersatur, quando dicitur, olim in cruce pependit, an quando dicitur. Nunc in altari offertur, utrum (inquam) te magis moueat, & ad admirandum & amandum, accendat, eius prædicata absentia, quā demonstrata præsentia. Sed scio quia non diffiteris quod uerum est, magis humana corda moueri præsentibus quam absentibus rebus, quia istis plærunq; non creditur: de illis uel in modico dubitare animus non finitur.

Quam utile nobis est memoria mortis Domini in sacrificio.

Mouetur igitur magis ad præsentem quam ad absentem, mouetur magis ad uisum, quam ad auditum Christū, mouetur ad admirandum, mouetur ad amandum: quo amore, amanti generatur remissio peccatorum. Cui quantus erga Christum amor est, tanta est & indulgentia, ipso domino attestante, qui de peccatrice Maria sic ait. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et cum rursus scriptum sit. Charitas operit multitudinem

Per hoc sacrificium excitatur amor in Christū.

Luc. 7.
Proue 10. &
1. Petri. 4.

peccatorum,

peccatorum, quantam multitudinem peccatorum operit Charitas in Christum, si tantum operit charitas in proximum? Non est ergo (ut dictum est) superfluum Christi corporis & sanguinis sacramentum: quo uiuatior memoria excitatur quo feruentior dilectio prouocatur quo plenior peccatorum remissio comparatur .· Non est superfluum, quia non tantum per id quod Deus est, sed etiam per id quod homo est, nobiscum est usque ad consummationem sæculi. Non est superfluum, quia qui per corpus suum redemit nos, per idem corpus suum reficit nos, ut redempti per corpus eius, & refecti corpore eius, nutriamur & pascamur humanitate eius, donec satiemur deitate & gloria eius.

Cur Christus adest, nō sub proprijs, sed sub panis & uini specieb.

Inde est quod in speciebus humano uictui & uitæ magis congruentibus, hoc sacramentum constituit: ut agnoscerēt aduertentes, per speciem quidem panis terreni, sed per ueritatem panis cœlestis, non mortalem quam solet ille, sed uitam datam hominibus immortalem. Vnde solitario & stupendo miraculo, latet in illo sacramento quod est, & patet quod non est, nec cruda carne, ne uiua & maxime humana uesci homo contra usum & naturam refugiat. Quod olim quidam etiam ex discipulis execrantes, nec quod inde a domino dictum fuerat capientes, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Sed non est durus, immo lenis & suauis sermo, quia etsi hominis Christi caro comeditur, non tamen læsi aut detruncati, non imminuti aut mutilati, non uolentis, neque dolentis, sed uolentis & consulentis caro comeditur, & sanguis bibitur, ipso (iuxta beati Apostoli Andreæ uerba) in suo regno, integro, intacto, inuiolato, immortali, incorruptibili, immo specioso, glorioso, adorando permanente, & mortales per iam immortale corpus suum, ad eandem immortalitatem per ducente. Non est ergo du-

Ioha. 6.

go ducum, crudele: sed pium & amabile, quia non nolens, neq; coactus: sed uolens & spontaneus hominibus carnem suam ad manducandum, sanguinem ab bibendum dedit: Nec irrationabile, quia unde peccatoribus uenia: inde largitori tantæ gratiæ debetur & gloria. Manet tamen tecta ueritas, et carnis & sanguinis honesta panis, & uini specie: ut & usui humano condescendatur, & fides exerceatur, & meritum augeatur. Inde est quod sacramẽtum, mysterium, species, & figura uocatur, quia intra hoc quod exterior forma nunciat, uirtus diuina uerum corpus, & sanguinem redemptoris occultat.

Sed adhuc carnalis animus, & nondum plene ab humana consuetudine defecatus obijcit, & dicit. Verum quidem corpus, & sanguinem redemptoris sub panis ac uini specie in altaris sacramento dari fidelibus, scio: sed cur ad manducandum uel bibendum detur (si liceat quærere) quæro. Nam si ad honorandum, si ad adorandum tantummodo daretur, quæstio non esset. Sed quia etiam ad manducandum datur, animum nondum perfecte sublimia sapientem, mouet. Quem enim non moueat, sicut quondam illos Christi discipulos mouit, contra humanum morem, contra pietatem, carnem Christi uel sanguinem: immo deum & hominem ab hominibus, magistrum a discipulis, dominum a seruis, Christum a Christianis, manibus frangi, dentibus atteri, & uelut escarum more communium deuorari? Corpus Christi quare nobis in Cibum datur?

Hæc, inquam, qui obijcis, sicut ipse fateris, a primis Christi discipulis Christo obiecta sunt: quando ab eis dictum est. Durus est hic sermo. Et quis potest eum audire? Hæc a Iudæis incredulis, & de hac re litigantibus dicta sunt. Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Hæc certe quæstio non noua sed antiqua: non re- Responsio.

 cens,

cens, sed uetustissima est: quæ sicut in ipsis Christianæ fidei fundamentis exorta est, sic non a quolibet doctore, sed ab ipso saluatore (ut sanctum Euangelium loquitur) extincta est. Cumq; simul ac pene eodem momento, & ortum habuerit & occasum, nimium rudis Christianus uidetur, qui talibus quæstionibus ante mille annos sepultis mouetur. Quia tamen nihil contemnendum est, quod uel fidem lædere, uel ad scandalum quorumlibet possit corda mouere, ferat hoc quoque æquaniniter quæ omnia suffert, Charitas: ut membrorum Christi per eius patientiam sanetur infirmitas. Nã & hoc Saluator ipse, medicus uidelicet cœlestis, de talibus infirmis faciendum esse docuit, quando rudibus adhuc discipulis & propter huiusmodi uerba scandalizatis, non aspere corripiens, sed benigne admonens, dixit. Hoc uos

Ioan. 6. scandalizat? Si ergo uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, spiritus est, qui uiuificat, caro non prodest quiquam. Quibus breuibus uerbis totum hoc ænigma, si attendas, sole clarius sapientia dei dissoluit: quia spirituali lumine, carnalium cogitationum nebulas effugauit.

Nota expositionem uerborũ Christi.

Si (inquit) uideritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius: spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quiquam. Hoc est, quia me hominem inter homines uidetis, nihil de me adhuc, quantum ad hoc sacramentum spectat, plusquam de alio homine sentire potestis: & ideo carnaliter sapientes, uelut per frusta concisam carnem meam me uobis uelle dare creditis. Sed postquam in cœlum ascendero, postquam hanc carnem de qua agitur, adhuc mortalem, in deum glorificauero, tunc intelligetis, quia spiritus est, qui uiuificat, hoc est uerba mea spiritualiter accepta uiuificant, caro autem non prodest quicquam: quia carnaliter intellecta, mortificant. Dabo enim carnem meam hominibus: non

bus: non more cadauerum detruncandam, minuendam, consumendam, quia sic accepta caro mea, non prodesset quicquam, sed dabo eam absque dolore diuidendam, absque imminutione partiendam, absque consumptione comedendam, quia spiritus est, quod uiuificat, & quia sic intellecta & accepta caro mea, uitam non mortalem, sed æternam percipientibus donat.

Cur caro Christi detur fidelibus ad manducandum.

Sed adhuc urges & dicis. Et si data est caro Christi hominibus imortaliter & inuiolabiliter, ad honorandum, & adorandum, quare ad comedendum? Quod enim honorari, quod adorari debeat, fidelibus omnibus certum est, quod autem & comedi, quia comestionis ratio non uidetur, profecto admirabile & super omnia stupendum est. Fateor plane & ego, fatetur & oĩs sane sapiens, hoc super oĩa miracula stupendum & admirabile esse. Sed nunquid tu qui rationẽ tanti sacramenti exigis, cuncta reliqua sacramenta dei, ratione comprædendis? Nonne sola uoluntas dei omni humana ratione rationabilior est? An non intelligis hoc uoluntatem dei esse, quod rationem, cum omnis uoluntas dei sit ratio, & omnis ratio sit eius uoluntas? Nam sicut eius uoluntas non potest esse irrationabilis ita & ratio nõ potest nõ esse illius uoluntatis. Cum hæc ita sint, omni rationi & rationabili menti sufficit uoluntas eius: etiam non exposita ratione uoluntatis eius. Vnde in hoc sacramento, sicut & in cæteris, sufficit uoluntas et prçceptum eius: cum constet, nec sumam sapientiam errare, nec sumam rationem aliquid irrationabiliter agere posse. Sufficit ergo & omnino abundanter sufficit ad rationem, Christum dominũ hominibus carnẽ suam ad manducandũ, & sanguinem suum ad bibendum dedisse. Sed licet (ut dictum est) sit contra rationem, dei cognita uoluntate, eius quærere rationem: ne tamen

Responsio sumpta ex uoluntate dei.

hic catholicis deesse, uel eos latere putetur, quod de tanti sacramenti ratione institutor Deus aperit, aperiatur.

Ratio. alia. Dat plane carnem suam, dat sanguinem suum, non solũ ad honorandum, non solum ad adorandum, sed etiam ad manducandum, & bibendum Christus hominibus, ut sicut absq; carnali cibo, & potu nullum mortalium mortalem, & miseram uitam posse transigere cernitur, sic absq; ista spiritualí esca, & potu, neminem immortalem, & beatam uitam assequi posse credatur, Quomodo enim melius, quomodo apertius, commendare potuit mundo, se esse uitam hominum, quam exemplo illarum rerum, in quibus est uita hominum? In cibo enim & potu, uita est omnium hominum, atq; inter multiformes escas, et pocula, quibus uita sustentatur hominum, principalem obtinent locum panis, & uinũ, quibus salubrius, & solennius uita quottidie recreatur & reformatur hominum. Vnde has solennes, & ad uitam temporalem hominum conseruandam principales substantias, ad uitam sempiternam hominibus restaurandam, dei sapientia fortiter suauiterq; disponens omnia, assumere uoluit, eaque de causa, in illarum specie carnem suam ad manducandum, sanguinẽ suum ad bibendũ, hominibus dare decreuit.

Christus, uita hominũ.

Sapien. 8. Ostendit in istis, & longe clarius hoc sacramento, quam uerbis edocuit, non esse aliam uitam æternam hominum, nisi se ipsum, dum similitudine eorum escæ carnalis, ad escam eorum & potum spiritualem, nihil aliud dare uoluit quã seipsum. Nam cum dicit, ego sum uia, ueritas, & uita. Itemque

Iohan. 14. cum ait. Hæc est uita æterna ut cognoscant te uerum de-
Iohan. 17. um, & quem misisti Iesum Christum, uitam eũ esse æter-
Ioan. 6. nam, discunt homines audiendo, sed cum dicit. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Itemq; cum ait. Panis

quem

quem ego dedero, caro mea est pro mundi uita: uitam enim esse hominum sempiternam, discunt homines comedendo.

Comedendo ergo melius quam audiendo discunt eum homines suam esse uitam immortalem, sicut escis corporalibus suam enutriunt uitam mortalem. Vt ergo non tantum uerbum discerent, sed etiam familiarius factis sentirent homines, se mori perpetuo seiunctos a Christo, se non posse semper uiuere nisi coniunctos & unitos Christo, ad similitudinem esse & uitæ carnalis, accipiunt corpus Christi, bibunt sanguinē Christi: non ab alio data, non ab alio suscepta, quā ab ipso Christo, qui eorum post hanc uitam futurus est esca, hoc est, uita & beatitudo æterna, hoc ut ostenderet, ut propter hoc carnem suam ad manducandum, sanguinē suū ad bibendū, omnibus se dare uelle signaret: ducta ab eremitico manna similitudine, ait in Euangelio Iudæis, se de suo manna iactantibus. Non Moyses dedit uobis panē de cœlo, sed pater meus dat uobis de cęlo panē uerū. Panis enim dei est, qui descendit de cœlo, & dat uitā mundo. Panis.n. ille non cælestis fuerat, sed aërius: hoc est, de aëre, Deo ibi eū creante, delapsus: licet aër improprie cœlū dicatur: ac propter hoc manna inde delapsum, panis cœlestis uocetur. Sed non fuit tamen illud manna panis cœlestis, sed est dei filius de cœlo descendens, ut ipse fatetur panis cœlestis, qui etiā antequam de cęlo descenderet, panis, hoc est, uita erat angelorū, et postq̄ de cœlo descendit, panis, hoc est, uita factus est hominū. Vnde se non mortuum, sicut manna fuit, sed uiuum panem uocat: quia illud mortuum, reficiebat moritura corpora Iudæorum, iste autem panis uiuus, in æternum uicturas animas reficit Christianorum.

Quod autē effectus ipse uiuendi, quem panis uiuus præstat, in præsenti non confertur, sed in futuro differtur, hæc

Comedēdo melius quā audiendo uita cognoscitur.

Iohan. 6.

Manna quō cælestis cib.

Cur in futurū differtur effect9 sacramenti euchariftiæ præcipuus.

 est cau-

est causa: quia sacramentum quidem corporale est, quia uerum corpus et uerus Christi sanguis est: sed res sacramenti, id est salutis quæ sequitur, effectus spiritualis est. Ideo ipsum sacramentum, hoc est, esca corporis Christi & potus sanguinis Christi, licet sint corporalia, hoc est, uere corpora, dicuntur tamen spiritualia, hoc est, spiritualiter salutis effectum operantia, sicut docet Apostolus de patribus loquens. Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potũ spiritualẽ biberunt. Quod quia neq; de manna Iudaico, neq; de aqua ex petra producta senserit, sed de Christo, hoc est, eius corpore & sanguine, de quo & Moyses scripsit: clarissime demonstrat cum addit. Bibebant autem de spirituali, sequente eos petra: petra autem erat Christus. De petra ergo quæ eos secutura erat, id est de Christo q̃ post eos uenturus erat, hoc dixit. Qui spiritualem escam & spiritualem potum, hoc est, corpus suum & sanguinem, uitam æternam hominibus spiritualiter conferentem, in sacramento sępe denominato donauit. Quod tantæ uirtutis fuit, ut non solum Christum sequentes, sed etiam ab initio mũdi ipsum pręcedentes fideles: non quidẽ corporaliter sicut post illum uniuersi, sed tamẽ spiritualiter sicut uniuersi. Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt, hoc est, eundem salutis effectum, quem post Christum Christiani: eundem & omnes illi de Christi corpore & sanguine reportarent. Idcirco (ut iam dictum est) omnes, tam primi quam ultimi ad corpus Christi & ad salutis æternæ mysterium pertinentes, omnes omnino eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundẽ potũ spiritualem biberunt. Vt igitur uita æterna spiritualiter & inuisibiliter mundo in pręsenti collata, corporaliter et uisibiliter in futuro conferenda, signaretur: data est

1. Cor. 10.

Petra spiritualis.

caro

caro Christi sub specie panis ad comedendum: datus est sanguis Christi sub Vini forma hominibus ad bibendum: ut sicut pane et uino ad uitam mortalem principaliter homines utuntur; sic ad uitam immortalem, quod est ipse Christus, corpore Christi et sanguine hic spiritualiter: postmodũ uero tam spiritualiter, quam corporaliter in æternum pascantur.

Responsio finalis. Claret igitur ratio non solum in futuro, quando intrandum est in sanctuarium dei, & intelligendum in nouissimis eorũ, sed etiã in præsenti, quando adhuc sub nubilo cuncta fiunt, claret (inquã) cur non tantũ ad honorandum, non tm̃ ad adorandum, sed insuper ad manducandum carnem suã, & bibendum sanguinẽ suum, Christus Christianis, dominus seruis, deus hominibus dare uoluit. Nemo ergo apponat impietatem, uelut læsi uel comæsi domini: nemo crudelitatem, uelut truncati uel dolentis corporis: nemo stultitiam, uelut homines humanam carnem absq; ratione edentes, quia non est impium, ubi omnis pietas, non est crudele, ubi nulla passio, non est irrationabile, ubi summa sapientia: quæ de sectione sua nullum dolorem, de participatione sua nullam imminutionem, de comestione sua, nullam patitur consumptionem: immo comedentibus æternam inde prouidet & præparat reparationem, quatinus & in hoc sæculo & in futuro panis & uita sit hominum: qui semper beatorum panis est & refectio angelorum. Psal. 72.

CONTRA ID QVOD DIcunt, uiuorum beneficia nihil prodesse defunctis.

Præfatio. QVinto dehinc & ultimo capitulo iaculũ aduersariorum amento hæretico intortum, quod in pernitiem ecclesiæ iam aduolat, scuto ueritatis falsitati opposito, repellendum est. De quo propheta. Amẽtũ id est lorum hastæ aut balistæ.

Scuto circumdabit te ueritas eius non, timebis a timore nocturno Psal 90.

Psal. 72. nocturno, a sagitta uolāte in die. Excreuit enim malitia perfidorum, & quasi ex adipe, iniquitas eorum prodijt, cum non solum Viuorum saluti, sed etiam Mortuorum spei inuident, & uniuersorum communes et publici hostes effecti, non tantum uiuos occidere, sed & ipsos mortuos, si possibile esset, rursus extinguere moliuntur. Instant mortalibus ut cito moriantur, mortuis, ne ad uitam respirare audeant, aditum intercludunt.

Immisericordes & Impij heretici. Mat. 5. Non parcunt miserandæ hominum sorti, & post erumnosam uitam, denuo sub diuino iudicio laborātibus humanis speciebus, uelut nunquam morituri misereri nesciunt, & uere impij, quia absq; pietate, Christum pietatem benigne comendantem, ut surdi audiunt: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quam quia alijs nec Ironia. affectu retinent, nec effectu exhibent, non ut beati, sed ut miseri nunquam eam consequentur, Liberales certe homines, & de suo munificentissimi iudicandi: qui nec de alieno dapsilitatem fieri, æquis intueri oculis, uel tolerare aliquatenus possunt, & diuitias bonitatis dei ac patientiæ ignorantes, Rom. 10. qui secundum Apostolum, diues est, in omnes qui inuocāt Iac. 1. eum, & iuxta alium, dat omnibus affluenter & non improperat: leges diuinæ largitati præscribunt, & ne mortuis liber inter mortuos misereatur, cœlestis censuræ iudices interdicunt.

Viuorū pro mortuis opera & suffragia. Hoc faciunt quando altaris sacrificia, oblationes, orationes, elemosynas, uel reliqua bonorum bona uiuorum bonis mortuis prodesse non posse contendunt, & ecclesiæ Christi tam celebrem, tam antiquum ab ipso Christo, immo ante Christum ab eius cultoribus obseruatum morem, uniuerso orbe reclamante, contemnunt. Vnde quam non contemnēdus, immo quanto studio hic error refellendus sit, etiam

negligenter

negligenter attendentes aduertere possunt. Quis enim o Catholici lectores, non aduertat satanam, cuius cogitationes iuxta supradictum Apostolum, non ignoramus, hoc cogitasse, ut tot bona a tantis bonis assidue per orbẽ pro mortuis facta, hoc astu auerteret, & iuges eleemosynas, continua sacrificia, irrequietas orationes, & his similia, quae & uiuis comparant meritum, & defunctis requiem, consilio infernali auferret? 2. Cor. 2.

Sed spiritus, consilij eius dolos retegens, & uultum fallaciae nubilo opertum denudabit, & ecclesiae suae magis lucrosam quam damnosam eius extitisse tentationẽ monstrabit. Nam quod magnus Apostolus ante multa saecula ait: oportet haereses esse: ut qui probati sunt, manifesti fiant: hoc non solum patrum temporibus, sed etiam nostris diebus experimur, quia sicut semper extrinsecus hostium persecutionibus dilatatur, sic intestinis falsorum fratrũ tentationibus magis magisq; purgatur. Dilatabitur ergo non angustabitur: purgabitur non inficietur auxilio diuini spiritus ecclesia: cum illud quod ab aduersa parte opponitur, studiosius discutietur, subtilius inuestigabitur, perfectius inuenietur, robustius defensabitur.

Haereses in bonum Ecclesiae uertũtur.

1. Corin. 11.

Et ne diu differam, quid est o haeretice, quod proponis? Non (inquit) prodesse possunt bona uiuorum mortuis, quia translatis e uita, nec augeri queunt merita nec minui, quia extra uitam hanc non potest iam locus esse meritorum, sed retributionum, nec ab aliquo potest sibi ★ parare mortuus, quod dum in seculo esset non obtinuit uiuus. Idcirco inania dico quaecunq; a uiuis pro mortuis fiunt, quia dum mortales per mortem, uniuersae carnis uiam, ad statum futuri seculi transeunt, secum totum meritum, suum, cui nihil possit adijci, ferunt.

Haereticorũ opinio de suffragijs defunctorum.

★ lego, sperare.

X Nouit,

Responsio. Ecclesias ult. Gal. 6. 2 Cor. 5.

Noui, inquam, uniuersa ecclesia dei, & ego, qualiscunque eius alumnus, non ignoro sapientiam dei per Salomonem dixisse. Cuncta quæ fiũt adducet deus in iudicium pro omni errato: siue bonum siue malum sit, & Apostolum. Vnusquisque onus suum portabit &, Oportet nos stare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, siue bonum siue malum, & Dauid. Duo hæc audiui, quia potestas dei est, & tibi domine misericordia, quia tu reddes unicuique iuxta opera sua. Et Christum dominũ, filius hominis uenturus est in gloria patris sui, cum angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opus eius. Noui plane ista, & adhuc plura, nec, quam dixi, ecclesiam fallere poterunt tanta tamque clara testimonia: nec tam cæcus esse potuit totus mundus, ut non posset cernere, quod potuit uidere rarus hæreticus, unumquemque scilicet ex suis operibus aut iustificari aut condemnari. Vidit certe ista, nec ad uidendum multo conamine opus fuit: uidit quicquid tu uidere potuisti, sed quicquid ipsa uidit, tu hæretice non uidisti. Vidit fines beatitudinis ac miseriæ sempiternæ ex uita mortalium pendere, unde pro eius qualitate agnouit omnipotentis misericordiam aliorum piis operibus, etiam post mortem mortuis subuenire. Nam & si aliena uidentur uiuentium opera, ut tamen mortuis prodesse ualerent, mortuorum dum uiuerent sunt meritis comparata. Idcirco nec aliena esse iudicanda sunt, quæ mortuorum præcedentibus meritis propria facta sunt.

Psal. 61. Mat. 16.

Recte orat Ecclesia pro suis membris defunctis.

Orat ea de causa ecclesia pro requie uel gloria membrorum suorum ad statum uitæ alterius translatorũ, et quos fide ac charitate ad membra domini sui pertinere cognoscit, a fructu suorum bonorũ operum non excludit. Non excludit eos, imo ut dignum est, plenissime admittit, ut sicut abiectos

a facie

a facie dei,concordans iuſtitiæ dei,a memoria ſua abijcit, ſicut perfectos coram facie dei,certa de miſericordia dei,auxilio ſuo non indigere cognoſcit,ſic laborantes ſub iuditio dei, confiſa de diuitijs bonitatis dei,quibus poteſt modis iuuare contendit.

Habet inde autoritatem ex uerbis domini dei ſui, a quo per Euangelium audit,remitti peccata non ſolum in hoc ſeculo,ſed etiam in futuro.Quando enim de blaſphemia ſpiritus loquens ait,qui dixerit uerbum contra ſpiritum ſanctum,non remittetur ei,neque in hoc ſæculo,neque in futuro,oſtendit ueniam quidem peccatorum,in hoc ſæculo ſemper dignis concedi, remiſſionem tamen pœnarum, quas peccata exigunt, in futuro ſeculo aliquando differri. Quæ ſecundum nobis occultas diſpenſationes iuſtitiæ, & miſericordiæ dei,pijs operibus bonorum uiuorum, aut tempore breuiantur,aut qualitate mitigantur, ad remedium bonorum, ſed imperfectorum mortuorum. Quos bonos uocaui,quia non excidunt a ſalute, imperfectos, quia indigent purgatione. Quæ purgatio ab æterna damnatione ſecernens,aut per occultum dei iudicium, reis illis, pro qualitate reatuum, exhibetur,aut per inexhauſtam eius bonitatem, eccleſiæ ſacrificijs, orationibus,eleemoſynis, & his ſimilibus recompenſatur, quia manet uerax ueritatis ſententia, remitti peccata,hoc eſt pœnam peccatorum, aliquando in hoc ſeculo,aliquando in futuro.

Probatio ex uerbis Christi. Math. 12. Gregorianū

Sed iam latiſſimis ſcripturarum exemplis utamur, quibus Sole clarius eluceſcat,non damnoſam ſed lucroſam nobis hereticam propoſitionem fuiſſe,probando quod non ſolum bona uiuorũ mortuis,ſed etiã bona mortuorũ uiuis,& bona uiuorũ uiuis,& bona mortuorũ mortuis, & olim ꝓfuerint, & quottidie ꝓdeſſe uel proficere poſſint. Ad quod

asserendum, ipse in primis autor & saluator hominum Iesus dominus ueniat, cuius adhuc inter homines uiuentis bona uiuis, mortui mortuis, uiui mortuis, mortui uiuis profuisse, nulli dubiũ uel obscurum, sed certũ & perspicuum est. Quã do enim eius bona numerari poterunt, quæ cũ adhuc mortalis inter mortales uiueret, eisdem mortalibus non tantum spiritualiter, sed etiam corporaliter profuerunt? Spiritualiter autem dixi, cum mulieri peccatrici diceret, fides tua te saluum fecit, uade in pace, cum Paralitico. Fili remittuntur tibi peccata, cum de Zachæo. Hodie salus domui huic facta est, quando conuersus respexit Petrum, quando latroni ait. Hodie mecum eris in paradiso, & alia quingenta. Corporaliter uero dixi, cum de leproso diceret Volo, mundare, & statim mundata est lepra eius. Cum alijs decem leprosis simul occurrentibus, præciperet, Ite ostendite uos sacerdotibus, et dum irent mundati sunt, dum cæco nato iuberet, Vade ad natatoria Siloe, & laua, & ille abijt et lauit & uidit, cũ alio cæco diceret. Respice fides tua te saluum fecit, & confestim uidit, quando accesserunt ad eum multi cæci, & claudi in templo, & curauit eos omnes, quando Sole occidente, omnes qui habebant infirmos uarijs languoribus, ducebant eos ad ipsum, & curabantur, quando præcepto eius exibant demonia a multis clamantia, & dicẽtia, quia tu es filius dei, et mille similia, tam per se, quam per discipulos facta. Hoc ergo modo bona uiuẽtis dñi, uiuis ꝓfuisse monstraui.

Christus uiuens spiritualiter & corporaliter profuit uiuis

Lucæ. 7.
Math. 9.
Lucæ. 19.
Luce. 22.
Luce. 23.
Math. 8.
Luc. 17.
Iohan. 9.
Luc. 18.
Math. 21.
Luc. 4.
Mar. 1.

Bona autem mortui dñi mortuis profuisse quis dubitat? quicunq; in symbolo Christiano credit, & confitetur, Passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuũ, sepultum, descendisse ad inferna? De q̃bus innumerabiles sanctorũ aĩas erueus, & beatitudini ęternę restituens, impleuit quod solennis prophetia prædixerat, De manu mortis liberabo eos, de

Christus mortuus profuit mortuis

morte

morte redimam eos, ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne, & quod alius, Deus ultionum dominus, deus ultio num libere egit, quodq; Apostolus, qui constitutus est (inquit) a deo iudex uiuorum & mortuorum. Sed quid mirabile, si mortuus dominus, morte sua mortuis fidelibus subuenerit, cum exinde mortuis seu morituris usq; ad consummationem sæculi, Christianis omnibus, ad uitam præordinatis, quod est mirabilius, eadẽ morte quotidie subueniat? Bona ergo mortui domini, mortuis hominibus hoc modo & profuisse & prodesse monstraui.

Psal. 93. Actu. 10.

Viuentis autem domini bona mortuis profuisse, unde clarius q̃ ex ipsa mortuorum resurrectione probatur? Nonne hoc illa trina & notissima mortuorum resurrectio attestatur: puellæ in domo, adolescentis in porta, Lazari de sepulchro? Nonne & illud iã uiuentis, quia a morte resurgẽtis: tam insolitum, tam nobile, tam famosum miraculum idem confirmat, quando eo (ut dixi) resurgente, & immortaliter iam uiuente, multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerũt? Nec mirum hoc etiam, si uiuentis uirtute, mortuorum corpora surrexerũt, quando eiusdem uiuentis dicta omnia, ad resurrectionem non tantum corporum, sed etiam (quod primum est) animarum omnium fidelium hominum profecerunt. Ostensum est igitur uiuentis domini bona mortuis profuisse.

Christi uiuentis bona profuisse mortuis probatur. Mat. 9. Lucæ. 7. Iohan. 11. Mathæi. 27.

Sed ad supplementum omnium demonstretur, mortui insuper bona uiuentibus potuisse prodesse, Ad quod non expectata responsione mea, totus orbis terrarum clamat: uociferans se bono mortis domini a morte æterna ereptum, saluti redditum, uitæ perpetuæ restitutum. Hoc duodecim Apostoli, hoc septuaginta duo discipuli, hoc quingenti fratres, quibus simul resurgens apparuit; hoc innumera

Christi mors profuit & prodest uiuis.

multitudo credentium uel non credentium: qui dum ipse tẽporaliter in carne mortuus esset, ipse etiam temporaliter in carne uiuebat, hoc (inquam) omnes isti attestantur: quos (ut dixi) in corpore mortali uiuentes, in corpore mortali eodem tẽpore mortuus saluauit, et ipsis uiuentibus bona mortis suæ profuisse monstrauit. Quæ cum ita sint, nullo sani capitis, ut æstimo, reclamãte: bona uiuentis domini uiuis, mortui mortuis, uiui mortuis, mortui uiuis ꝓfuisse probatũ est.

Propositio dicendorũ. Sed quoniam ut dignũ erat, hoc in domino saluatore uelut in capite corporis sui, quod est ecclesia, ostensum est, subsequenter in eodẽ corpore eius, hoc est fidelibus eius, prout ipse dederit ostẽdendum est. De ipso enim saluatore, ad quẽ singulariter pertinebat, ut eius uita uel mors saluti uiuentium & mortuorum impenderetur, nullus fidelium dubitare permittitur. De reliquis uero, quod scilicet bona uiuorum mortuis prodesse ualeant, & hij hæretici negant, & quidam etiam catholici dubitare uidentur. Propter quos maxime hoc demonstrandum est, ut hæreticus si fieri potest, fidem quam abiecit resumat, & catholicus in fide quam confitetur, nequaꝗ̃ ultra languescat. Et ut eo ordine quo de domino illa superius ostensa sunt, eodem quoq; ista inferius de seruis fidelibus ostendãtur, probandum est bona uiuorũ uiuis, bona mortuorum mortuis, bona uiuorum mortuis, bona mortuorum uiuis, & profuisse in præteritis sęculis, & posse prodesse usq; ad consummationem sæculi etiam in futuris.

Probatur bona uiuorum uiuis prodesse. Quando autem dies sufficere poterit, si undiq; occurẽtia, & certatim se ingerentia exempla profundere uoluero: demonstrando bona uiuorum uiuis profuisse, & inuicẽ se bonos omnes mutuis beneficijs adiuuisse ante legem, sub lege, sub gratia: in Heptatico, in prophetis, in Psalmis, in Euangelijs, in Apostolorum actibus & epistolis: in omni ad ulti-

Heptaticũ.

mum

mum lege diuina, tã ea quæ dicitur Vetus ꝙ ea que dicitur Noua? Sed quia non est necesse cuncta huiusmodi de scripturis eruta, in unum colligere, quæ sufficiant proponantur: quibus quæ proposita sunt robustissime defendantur. Proposita autem sunt, quod bona uiuentium uiuis prodesse possint. Et possem quidem dicere ad remotiora secedens, Abraham pro Ismaele, Isaac pro sterilitate Rebeccæ, Iacob pro nepotibus, Moysen pro Iudæis, eundem contra Amelech, contra Dathan & Abiron, contra plures rebelles & seditiosos: hos (inquam) magnos Patriarchas, uel pro alijs, uel contra alios deprecantes, & exauditos fuisse. Dauid precibus suis a morte populi angelum auertentem, Samuelem paulo superiorem, eidem Iudaico populo dicentem. Absit a me peccatum hoc, ut cessem orare pro uobis. Esaiam & Hieremiam prophetas, tam precibus ꝙ meritis. Ezechiam & Iosiam reges, ab eadem gente sæpe iram commoti domini auertisse. Preter hos innumerabiles alios quos breuitatis studio intermitto, possem ꝑducere, qui uirtute sua infirmitatem, qui iustitia sua iniquitatem, qui bonis suis mala priorum temporum supportabant, & deũ iniquitates hominum ferire disponentem, quasi uim inferentes, supplicationibus retrahebant.

iij.Regũ.14.

1.Reg.12.

His ergo dimissis, ad nostra. Euangelica tempora ueniẽdum est, in quib. maximũ in Apl̃is (ut sępe dictũ est) Paulũ sermo producat, & ex eo maxime, uiuentium bona, uiuentibus prodesse ostendat. Ait enim in epistola sua, Romanis. Testis mihi est deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam uestri facio, semper in orationibus meis. Item Ephesijs. Flecto genua mea ad patrem domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur: ut det

Orationes Viuorũ prodesse uiuis.

Rom.1.

Ephe.3.

uobis

uobis secundum diuitias gratiæ suæ uirtutem, corroborari
Coll. 4. per spiritum eius, & reliqua. Item Collossensibus, orationi
instate, uigilantes in ea in gratiarum actione: orantes simul
& pro nobis, ut deus aperiat nobis ostium sermonis, ad lo-
quendum mysterium Christi, ut manifestem illud, ita ut o-
portet me loqui. Rursus in iam dicta epistola Romanis.
Rom. 15. Obsecro uos fratres per dominum Iesum Christum, & per
Charitatem spiritus sancti, ut adiuuetis me in orationibus
ad deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, & ob-
sequij mei oblatio accepta fiat, in Hierosolyma sanctis: Itē
1. Thim. 2. ad Timotheum, Obsecro primū omnium fieri obsecratio-
nes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omni-
bus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate
sunt: ut quietam & tranquillam uitam agamus, in omni
pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum co-
ram saluatore nostro deo. Hinc Iacobus, postquam dixit,
Iacobi 5. Confitemini alterutrū peccata uestra, addidit, & orate pro
inuicem, ut saluemini. Quod fieri debere prophetico testi-
monio comprobat, cum Heliam introducit orasse, ut non
plueret super terram, & non pluisse annos tres & menses
sex, & rursum orasse, & cœlum dedisse pluuiam, & terram
dedisse fructum suum.

Epilogus. Quid ultra? quid ultra certe? aut me loquendo, aut te o le-
ctor, fatigarem legendo? Ecce his paucis plenissime, his bre-
uibus exemplis largissime monstratum est, bona uiuorum
uiuis: iuxta quod gratia diuina dispensat, & utriusq; partis
meritum postulat, & olim profuisse, & (ut dictum est) sem-
per dum hic uiuitur posse prodesse. Dum enim Paulus Ro-
manorum in suis orationibus memoriam facit, dum & pro
Ephesijs ad deum genua flectit, dum rursum Romanos per
Iesum Christum, & per Charitatem spiritus sancti obsecrat,

ut aduiuent se in orationibus ad deum, dum Colossenses monet, ut orationi instent, orent etiam simul & pro ipso, dũ Timotheo loquitur obsecrare se ut fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt: nec tantum pro illis, sed sicut præmittit, pro omnibus hominibus, dum Iacobus hortatur duodecim tribus, quæ sunt in dispersione, & in illis totius mundi fideles, ut orent pro se inuicẽ: subditq; causam, ut saluentur, dum Heliam etiam pro impijs orasse, & exauditum fuisse memorat: quid (inquam) in his omnibus tãtis, tamq; solennibus sacræ legis testimonijs? quid certe aliud docetur, quam omnia Christi menbra, omne sibimet ipsis auxilium inuicem ferre, pro inuicem orare, & ut lex Christi, quæ Charitas est, impleri ualeat: alterum alterius onera uel spiritualia, uel corporalia, spiritualibus aut corporalibus subsidijs portare debere?

Probatur bona mortuorũ mortuis prodesse

Iam sequentis particulæ probatio, unde melius quam ex præcedentis probatione probatur? Sacris enim autoritatibus multipliciter probatum est, uiuentium bona uiuentibus (si digni sunt) posse prodesse. Inde ergo colligitur mortuorum hominum bona, mortuis hominibus (si & ipsi digni sunt) ad salutem, seu ad malorum leuamen posse proficere. Cum enim bonorum uiuentium oratio uiuentibus profuerit, cur eorundem uel similium mortuorum deprecatio mortuis prodesse non poterit? An apud pijssimam maiestatem plus possent uiuentes iusti, minus mortui iusti? An maioris apud deum precij sunt preces bonorum uiuentium, quã bonorum supplicationes mortuorum. Nunquid excellentiores meriti sunt apud dominum suum sancti in corpore constituti: & inferioris, mortalitate exuti? Nunquid maioris gradus uel gratiæ sunt adhuc in carne positi, & minoris

Sancti potentiores post mortẽ quam in carne positi.

iam deo coniuncti? Non hoc, non hoc (inquam) ratio uel iustitia patitur: ut quando debent esse robustiores, fiant infirmiores: quando debent esse potentiores, sint impotentiores: quando debent esse perfectiores, sint imperfectiores, quando solet talibus adaugeri gloria, minuatur gratia, quando supernæ largitatis erga tales dona solent ineffabiliter accumulari, quæ prius collecta fuerant, uideantur auferri.

Paulus. Potuit certe Paulus, orare pro Romanis, genua flectere pro Ephesijs, dum in misera carne uiueret, & (ut par est credere) exauditus est: & nunc omni miseria exutus, beatitudini sempiternæ coniunctus pro eisdem uel quibuslibet digne deprecabitur, & non exaudietur?

Helias. Orauit (ut dictum est) Helias pro pluuia tollenda, orauit & pro eadem reddenda in corpore manens, nec precum effectu uel in modico frustratus est: dum exutus corpore fuerit (nam adhuc in corpore uiuit) pro quibuslibet, dignis tamen orabit, nec quod orauerit obtinebit?

Mat. 15. Rogant Apostoli dominum pro Chananæa dicentes. Dimitte eam domine, quia clamat post

Iohan. 11. nos, & audiuntur. Orans Martha & Maria, ut resurgat frater earum Lazarus: & Christo eas exaudiente, resurgit. Hoc (inquam) sanctæ mulieres sanctique discipuli adhuc miseri obtinuerunt: si quid dignum petierint, iam beati non obtinebunt?

Act. 12. Facta est oratio ab Ecclesia, adhuc perigrina, ad deum pro Petro, ut de carcere erueretur, & misso Angelo ereptus est: orabit iam coniuncta ecclesia deo, ut pro aliquibus obtinendis audiatur, & non exaudietur?

Orant sancti in cœlo pro mortuis. Et certe rationi huic autoritate sua, eadem ecclesia attestatur mortuis uidelicet, aliorum mortuorum bona posse pro-

se prodesse, dum quottidie per uniuersum mundum cum signo fidei exeuntes de corpore, & somno pacis dormientes mortuos suos, perfectioribus mortuis, hoc est sanctis martyribus, alijsque summe iustis commendat: quos scilicet iam mortuos, mortuis alijs non commendaret, nisi mortuorum in bonis perfectorum, bona bonis mortuis, sed imperfectis, posse prodesse consideret. De qua ecclesiastica consuetudine, nec Catholicus dubitasse: nec hæreticus inuentus est illi aliquando restitisse. Adiuuat ista & libri Machabeorum lectio: quæ sicut in sequentibus loco proprio clarius exponetur, summum sacerdotem Oniam, magnumque Prophetam Hieremiam, iam mortuos orasse, & exauditos esse pro uiuentibus, introducit. Cum igitur & uiuentes pro uiuentibus orare præcipiantur, & mortui pro uiuentibus exauditi esse legantur, cur mortui mortuis posse prodesse sanctis supplicationibus, dubitatur? Quod si quis forte opposuerit, bona mortuorum idcirco mortuis prodesse non posse, quoniam in statu illo futuri seculi non est locus bonorum uel malorum meritorum, sed bonarum uel malarum retributionum. Respondeo, esse quidem hic locum meritorum, ibi retributionum, sed sicut malorum & malorum uarietatem distingui, sic bonorum, & bonorum diuersitatem oportere discerni.

Nota: 2. Maca. 15.

Obiectio:

Solutio.

Sicut enim diuerso respectu uoco malum quod est peccatum, & malum quod est pœna peccati, de quo primo malo ait Propheta. Peccatum meum coram me est semper. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, de sequenti uero deus ipse. Ego dominus faciens pacem, & creans malum: itemque, si est malum in ciuitate quod DOMINVS non fecerit, sic diuerso intuitu uoco

Malum culpæ Malum pœnæ. Psalm 50. Esa. 45. Amos 3.

 bonum

Bonum meriti et præmij

bonum opus eius, uoco bonum mercedem eius. De quo primo bono præcipit homini scriptura sacra. Fac bonum, de sequenti uero, dicit. Credo uidere bona domini. Primum ergo bonum meritũ est, secundum bonũ, merces meriti est. Primum bonum, laboriosum est; sequens bonum, delectabile est. Primum bonum amaritudinis est, sequens bonum dulcedinis est. Primum bonum cum miseria temporali est: sequens bonum cũ fœlicitate ęterna est. Primum ergo bonum, in præsenti tantum uita exercetur: sequens bonum in futura perpetuo retinetur. Illud igit̃ bonum, meritum comparans (quod laboris, amaritudinis, & miseriæ esse dixi) a sanctis uel iam beatis omnino remoueo: Illo uero quod delectabile, quod dulcedinis, quod fœlicitatis æterne bonum uocaui, eos tantummodo frui affirmo. Nec enim ultra, beatos illos esse pauperes oportebit, nequaquam esurire corporaliter uel sitire, nequaquam gemere uel flere, nequaquam persecutionem propter iustitiam pati eis ultra necesse erit, & his similia bonum (ut dixi) meritum comparantia, sed tantum excellentius bonum (quod mercedem præcedentium bonorum uocaui) eis deesse non poterit, quod beatus ille quicunq; fuerit cœlicola, æternaliter obtinebit.

Beatitudo in quibus cõsistit.

Hoc est bonum illud quod beatidudo uocatur, cuius beatitudinis, uel præcipua, uel tota causa est, conditoris contemplatio, amor, delectatio, Quæ contemplatio amori (ut dixi) creatoris adiuncta, totam illam rationalem & beatam creaturã implebit, eamq; ex integro sibi uendicans, ad infatigabilem laudem creatoris æternaliter animabit. Inter quæ bona sua, quam diu necesse fuerit, etiam hoc bonum habebit, ut in miseria temporali adhuc laborantibus conseruis, benigne subueniat, & meritis fœlicibus, non miseris lamentationibus eos ad suæ beatitudinis consortium pertrahat. Ea propter

pter affectus, quo mortui pro mortuis, deo supplicant, non de miseria est, sed de beatitudine: non de laboriosis suplicationibus huius uitæ, sed de riuo in eis deriuato charitatis & beatitudinis sempiternæ.

Hoc igitur modo mortui perfectiores pro imperfectioribus supplicant, quando deum non sicut in hac uita miseris gemitibus, sed sanctis affectibus, sicut uitã illam decet, pro dignis exorant. Non enim eos in precibus necesse est laborare, quorum sancta merita uel affectus non potest æterna sapientia, quæ illa contulit, ignorare: non potest summa benignitas nõ exaudire. Nec ipse dominus tales illis affectus cõferret, si eos exauditurus non esset. Hoc igitur modo bona mortuorum, mortuis posse prodesse, & autoritas docet & ratio persuadet. Ista (inquam) bona sanctorum non minuent beatitudinem, sed aliorum (ut dictum est) iuuabunt imperfectionem. Nec uocabitur bonum adaugens meritum, Sed dicentur bonum remunerans meritum. Qualis oratio beatorũ.

Iam si hinc autoritas scripturæ uel a credentibus, uel a dubitantibus quæritur, iuuante eo, qui adiutor est in oportunitatibus, deesse non poterit. Deesse certe non poterit, ut non solum ratione supra scripta, non tantum institutione ecclesiastica: sed etiam autoritate diuina undiq; nostra uallata assertio, nullum casum trepidans immota consistat. Adducatur autenticus & Euangelicis testimonijs roboratus, liber qui dicitur Regum, in medium, & mortuorum bona mortuis (ut sæpe dictum est) posse prodesse, mirando ac iocundo exemplo confirmet. Veniat ad hoc adstruendũ magnorum & mirandorum operum patrator magnus ille & nominatus Helisæus propheta, super quem Heliæ spiritus requieuit: qui eiusdem eundem tanti prophetę spiritum (eo ad Probatio ex scripturis de intercessione beatorum. 4 Reg. 2.

sublimia curru & equis igneis rapto) duplicem accipere meruit.

Mortuus Helisæus mortuum suscitauit. 4.Reg. 13. Huius certe Helisæi non uiuentis, sed etiam mortui & sepulti ossa, mox ut mortuum alium contigerunt: utrum bona mortuorum, mortuis prodesse ualeant, ostenderunt. Quidam enim (ait scriptura illa) sepelientes hominem, uiderunt latrunculos, & proiecerũt cadauer in sepulchrum Helysei. Quod ut tetigit ossa Helysæi, reuixit homo, & stetit super pedes suos; Quid mirabilius, quid clarius ad rem, de qua agitur affirmandam, præscia cunctorum diuinitas, ostendere potuit? Vnde lucidius mortuorum bona mortuis posse prodesse, cuncta prouidens æterna sapientia monstrare ualuit? Quis unquam nobile hoc miraculum considerans, quod mortuorum bona mortuis prodesse ualeant, non dico contradicere, non dico mussitare, sed uel in modico dubitare poterit? Idcirco autem hæc aperta miracula alterius temporis hominibus, a deo demonstrata sunt: ut omnium temporum homines instruerentur, & quid credere, quid agere deberent, non tantum uerbis diuinis, sed etiam rebus mirabilibus admonerentur. Hoc autem corporale beneficium a mortuo propheta, mortuo homini collatum, docet deum non solũ corporalibus mortuorum hominũ beneficijs, quæ ipse contulit, mortuis alijs succurrere: sed & spiritualibus bonis eorundem mortuorum, mortuis alijs, sicut adiuncta iustitiæ misericordia postulat, spiritualiter subuenire. Cum hæc itaq; tam magnis autoritatibus, tantis rationibus, tam firmiter nitantur, procul, explosa omni dubietate, mortuorum bona mortuis prodesse posse, luce lucidius demonstrantur.

Hinc ad tertiam diuisionis nostræ particulam defendendam,

dendam, quam solam hæretici nostri impugnant, & de quia sola hoc nostrum quintum capitulum exortum est, spiritu dei causam suam defendente, procedendum est. Est autem hæc, qua dei ecclesia, bona uiuorum, mortuis posse prodesse, & uerbis docet, & quotidianis, quæ mortuis exhibet, misericordiæ operibus confirmat: Quam eius consuetudinem, & nobis ab eadem ecclesia traditum morem, uos, o hæretici, cum quibus præcipue de hac re mihi sermo est nulla ratione temerare potestis: quia rationi longe supra scriptæ, & argumento inuicibili resistere non ualetis. Quæ uero sit illa ratio, quodue illud argumentum, ne mente exciderit, breuiter replicabo. Superius enim dixistis, nullos uos libros, nullas traditiones ecclesiæ ab ecclesia præter Euangelium suscipere: sed illi tantum, hoc est Euangelio fidem uos firmissimam conseruare. Ad quod ego respondi. Si indifferenter ab ecclesia tam Euangelium quam alios libros, quos Canonicos dicimus, cum alijs autenticis traditionibus suscepistis, indifferenter aut omnia suscipere, aut omnia respuere debetis. Quod enim indifferenter ab ecclesia tam nobis quam uobis traditum est: aut indifferenter totum suscipiendum, aut totum reijciendum est. Sed Euangelium reijciendum esse uos non conceditis.

Probatur bona uiuorum mortuis prodesse.

Quia ergo Euangelium reijciendum esse non conceditis, quicquid cum Euangelio ab eadem Ecclesia, quæ Euangelium tradit, traditum est: inuicta ratione cogente a uobis suscipiendum est. Traditum autem ab ea quam dixi ecclesia, in ecclesia inuenistis, ut diuinis sacrificijs, sacris orationibus, alijsque pietatis operibus, fideles in carne uiuentes, alios cum signo fidei, & spei Christianæ carne exutos, iuuare studeant: ut quod bonæ quidem

Ratio cōtra hæreticos, ab autoritate Ecclesiæ.

quidem eorum uitæ, sed imperfectæ defuit, de superfluente conditoris pietate pie præsumentes, supplere contendant. Quod quia sic uobis ab ecclesia iam dicta, sicut Euangeliū, traditum est: prorsus tam a uobis; quam ab uniuersis sicut Euangelium, suscipiendum est.

Succedat tamen sacrorum librorum autoritas, et tam Canonis diuini, quam aliorum uoluminum ei cohærentium, et ab ecclesia traditorum clarifluus sonus, & erroris tenebras luce sua discutiat, & surdis hominibus aures hactenus obturatas aperiat.

Probatio ex libro Machabæorum secundo.

Ac primo omniū Machabæorum liber secundus in medium adducatur: ex quo famosissimam lectionem & in sacrificijs diuinis (quæ assidue per totum mundum pro mortuis offeruntur) quotidie frequentatam, contradictor hæreticus audiat: & audiens pietatis uerba, pie per orbem terrarum ubiq; resonantia, inter innumerabiles pios pietati diuinæ pro mortuis supplicantes, pene solus impius esse erubescat. Audiat a firmissimo Iuda factam collationem duodecim millium drachmarum, missasq; Hierosolymam, ut ibi offerrentur pro peccatis quorundam, in bello paulo anteacto mortuorum, quorum peccatum tam graue describitur, ut uix uenia dignum inueniatur. Sequenti die (ait scriptura illa) uenit cum suis Iudas, ut corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donarijs Idolorū quæ apud Iamniam fuerant, a quibus lex prohibet Iudæos. Omnibus ergo manifestū factum est, ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaq; benedixerūt iustum iudiciū domini, qui occulta fecerat manifesta: atq; ita ad preces conuersi rogauerunt, ut id quod factum erat delictum, obliuioni traderetur. Tam graue (inquam) erat delictum, ut donaria

ij. Mach. 12.

Deu. 7.

Idolorum

Idolorum inuenirentur sub tunicis interfectorum. De hoc tam graui delicto Iudæi fideles ad præces conuersi: rogauerunt utique deum, ut id quod factum erat delictum obliuioni traderetur.

Rogant ergo fideles Iudæi deum pro delictis tam grauibus defunctorum, ut quod fecerant obliuioni traderetur: & non rogabunt fideles Christiani pro defunctis in spe bona fidelibus eundem deum, ut eis nondum plene laxata peccata remittantur? Rogauerunt hoc illi adhuc in tempore iræ: & non rogabunt hoc isti in tempore gratiæ? Obtulit Iudas, quia ad offerendum misit duodecim milia drachmas argenti pro peccatis mortuorum Iudæorum: & non offeret noster Iudas idest pietatem tenens, & confitens Christianus, super aurum, & argentum incomparabiliter præciosum Christi corpus & sanguinem, pro peccatis Christianorum mortuorum? Bene ille & religiose de resurrectione cogitabat, bene & religiose considerabat, quod hi optimam haberent repositam gratiam, qui cum pietate dormitionem acceperant Iudæi: male & irreligiose cogitant, qui considerant quod eandem, & meliorem habeant repositam gratiam, hi qui cum pietate dormiunt Christiani? Non prorsus non, quia ut bona illa scriptura subsequitur, sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis soluantur. Argumentum a minori.

Adiungatur huic Machabeorum exemplo, totus diuinus, & Euangelicus Propheta Esaias, cuius ueritatem uel dignitatem superfluum est efferre: cum Apostoli, cum Euangelistæ, cum Saluator ipse eum inueniantur frequentissime legere, prædicare, & uerba sua eius sermonibus roborare. Loquens quippe Iudaico populo ad quem missus erat, eosque corripiens & instruens cum dixerint (inquit) Probatio ex Esa. 8.

ad uos, quærite a Pythonibus, & a diuinis qui stridunt in incantationibus suis: nunquid non populus a deo suo requirit pro uiuis ac mortuis? uelut si diceret. Cum dixerint ad uos deceptores, ut ea quæ tantum a deo requirenda sunt, quærantur contra deum a Pythonibus, & a diuinis, qui more talium incantando stridunt, & sibilant: respondete. Nunquid non populus, hoc est, nunquid non est hic mos omnium populorum, ut a deo suo quem colit, requirat ea quæ quærenda sunt, siue pro uiuis siue pro mortuis? Ea propter non ut uos dicitis quæremus ista a Pythonibus, & a diuinis, sed more omnium populorum, qui a deo suo requirunt tam pro uiuis quam pro mortuis quæ requirenda sunt, & nos similiter faciemus, a deo nostro requirendo, si qua quærenda sunt pro uiuis, uel si qua quærenda sunt pro mortuis. Nonne uides quicunque hæc legis, Prophetam Esaiam apertissime prædicare, deum a populo suo requirendum, idest consulendum esse, tam pro uiuis quam pro mortuis? Quod si consulendus, si orandus est, deus, tam pro uiuis quam pro mortuis, quid respondent qui dicunt non esse orandum pro mortuis? An illud concessum fuit uni populo Iudæorum, & nunc negatur Christiano orbi terrarum? Docetur populus ille ut respondeat seductoribus, inquirendum uel deprecandum deum pro uiuis ac pro mortuis, & non docebitur populus Christianus conculcandos esse hæreticos, qui negant deum orandum pro mortuis?

In textu Esaię uarietas. Quod si dixerint in aliquibus exemplaribus non haberi: nunquid non populus a deo suo requirit, pro uiuis ac mortuis, sed pro uiuis a mortuis: hoc est, pro uiuis hominibus a mortuis simulachris. Respōdeo dictum quidem

& illud

& illud, si tamē ita est, ad exprobrandum idolatris, qui quod pro salute uiuorum siue defunctorum ab uno, & uero deo tantum quærendum erat, a falsis, & innumeris (secundum ipsos) dijs quærebant, secundum quod Ochoziæ regi dicitur. Quasi nō esset deus in Israel, misisti ad consulendum Beelzebub deum Acaron, idcirco de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Dico (inquam) ad deridendos idolatras hoc dictum fuisse, sed quod a deo uero populus eius salutem uiuorum seu mortuorum quærere debeat, Prophetam sensisse, hoc qui studiose legerit, intelliget, & erroneis hominibus, ista negantibus, contradicet. Nam & quod sequitur, ad legem magis, & ad testimonium, ostendit de his et similibus, legem diuinam eiusq; testimonia consulenda, hisq; magis quam Pythonibus uel diuinis esse credendum, Sed & illud quod additur, si non dixerint iuxta uerbum hoc, non erit eis matutina lux, comminatur negantibus uel contradicentibus hæreticis, si non dixerint iuxta uerbum hoc, hoc est, consulendum uel orandum esse déum pro salute uiuorum ac defunctorum, non esse eis matutinam lucem, hoc est, nunquam eos peruenturos ad mane æternum, de quo postquam Propheta dixit. Ad uesperum demorabitur fletus, subdit, & ad matutinum letitia. 4. Reg. 1.

Sed transeat a Propheta sermo ad Apostolum, ut quid de his sentiat summus post Christum magister ecclesiæ, more suo non tantum discipulis, sed & discolis istis aperiat. Transiens quippe in Epistola ad Corinthios prima de mortuorum resurrectione, & eam multipliciter astruens, Alioqui (ait) quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis? Baptizabantur enim tunc temporis quidam, Psalmo. 29. Probatio ex Apostolo. 1. Corin. 15. Baptizari pro mortuis

bona sed non sana uoluntate pro mortuis non baptizatis: estimantes baptismum quod dum uiuerent non perceperant, si pro ipsis uiui baptizarentur, mortuis posse prodesse. Quod Apostolus sic de hoc eorum opere loquens temperat, ut baptismum tale non approbet: & baptizatorum uoluntatem collaudet? Non approbat sane alterius baptismum, alteri uiuenti uel mortuo, quantum ad baptismum spectat, posse prodesse: sed plane intentionem illorum baptizatorum approbat, & confirmat, qui bonis operibus uiuorum mortuos posse iuuari, huiusmodi opere, hoc est tali baptismate uidebantur sentire.

Abijcit igitur Apostolus quod abijciendum esse, suscipit quod suscipiendum esse cognoscit, ut non quidem baptismatis opere quod unicum est, sed omni alio bono opere, quod multiplex est, mortuos a uiuentibus posse iuuari admoneat. Hinc sententiam quam pręmisi tam constanter in resurrectionis assertione pronunciat, & ut melius commendet iterat cum dicit. Alioqui quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? & statim. Si omnino mortui non resurgunt, ut quid & baptizantur pro illis? quasi diceret. Si non est resurrectio, quid prodest bonum opus, uel bona pro mortuis uiuorum intentio? Quid prodest pro mortuis bona uoluntas uiuorum, si mortem carnis non sequitur resurrectio mortuorum? Quid prodest pro mortuis bonum uiuentium opus, si ad uitam sempiternam, post communem casum, humanum non creditur posse resurgere corpus?

Prima ppositio si mortui nō resurgunt, nec bona uiuentiū eis prosunt.

Secunda propositio Supposita resurrectiōe non est negandū mortuis bona uiuorum prodesse.

Sed quia hoc patet, quod mortui resurgunt, neque hoc latet, quod mortuis bona uiuentium prodesse possunt. Quia hoc clarum est, quod bonum resurrectionis reseruatur carni humanæ, & hoc perspicuum est, quod bonum oratio-

orationis,quo a uiuētibus deo pro mortuis supplicatur,animæ nihilominus reseruatur humanæ. Quia hoc constat q̃ corporalis substantia aut de cadauere, aut de puluere, aut de nihilo reparabitur, & illud certum est; quod interim spiritualis substantia,bonis uiuorum operibus adiuuabitur. Si enim omnino absq; spe reparationis humana natura deficeret:sicut non esset unde repararetur, ita non esset unde adiuuaretur. Sed quoniam per resurrectionem constat eam in melius reformandam: non quidem per baptismum,sed per alia bona uiuentium opera,si pro ea facta fuerint:eam certum est adiuuandam.

Hic plane hic sensus, hic intellectus est apostolicus: cui qui concordat, Catholicus:qui ab hoc discordat, hæreticus esse probatur. Hinc enim & sequitur. Vt quid & nos periclitamur omni hora?Quotidie morior per uestram gloriam fratres. Vides lector Apostolum periculis suis quotidianæ morti suæ: paria fecisse baptismata eorum qui baptizabantur pro mortuis,hoc est, bona quæ faciebant uiui pro mortuis?non quidem quantum ad dignitatem, qua incomperabiliter opera sua, illorum operibus præcellebant, sua opera eorum operibus paria fecit: sed quantum ad argumentum probandæ mortuorum resurrectionis spectabat,facta sua et illorum æquauit. Dixit enim inaniter baptizari uiuos pro mortuis,si mortui non resurgerent: dixit inaniter se periclitari omni hora,si mortui non resurgerent:inaniter quotidie se mori,si mortui non resurgerent:inaniter se ad bestias pugnasse Ephæsi, si mortui non resurgerent, & frustra hæc omnia uel similia facta fuisse, uel fieri, si mortui non resurgerent. Quod si mortui resurgerent, neq; se ista omnia frustra pati aut facere: neq; uiuos qui pro mortuis baptizabantur, quantum ad intentionem ut supra dictum est pertinet,

Vera expositio sententiæ Pauli.

For. mortis.

frustra pro mortuis baptizatos esse: quia & illa sua opera, non tantum uiuentibus, sed & mortuis proderant: & aliorum uiuentium bona, quæ pro mortuis pie fiebant, absq; dubio mortuorum saluti proficiebant.

Probatio ex actib9 Apostolorum.

Huic argenteæ columnę, hoc est splendidæ & forti apostolicæ sententiæ, operis huius ædificio firmiter innixo, et q uiuorũ bona (si digni fuerint) mortuis prodesse ualeãt, inde probato: ad actus ipsius apostoli & aliorũ Apostolorũ sermo transiliat, & adiuuante eo, cuius causa agitur, de libro illo nõ Euangelio, sed Euangelico, q̃d ex alijs astruit, uerũ esse ostendat. Viuebant certe in carne duo magni & summi

Actuum: 9. Actu. 20.

Apñi Petrus & Paulus. Quorum primus, ut breuiter dicã, uiduarum precibus & lamentis Tabitam mortuam: alter lapsum de fenestra Eutychũ, miseratus casum studiosi erga uebum dei adolescentis, suscitauit. Viuebat (inquam) in carne Petrus: mortua erat quantum ad carnem Tabita. Hoc ne quis dubitet, sancta illa scriptura testatur. Factum est (inquit) in diebus illis, ut infirmata scilicet Tabita moreretur. Quam cum lauissent, posuerunt in cœnaculo. Quid de Petro? Petrus (ait) ponens genua orauit. Et post pauca. Cum uocasset (inquit) sanctos ac uiduas, assignauit eam uiuam. Quid de Paulo? Quidam (inquit) adolescens nomine Eutychus, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum: & sublatus est mortuus. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum: & complexus ait. Nolite turbari. Anima enim ipsius in eo est. Et uersu interposito. Adduxerunt aũt puerum uiuentem, & consolati sunt non minime.

Ex suscitatione mortuorum a uiuis: probatur uiuos defũctis suffragrari.

Ecce uiuens Petrus: ecce absq; dubio mortua mulier. Ecce uiuẽs Paulus, ecce absq; dubio mortuus adolescẽs. Quia tamen Petrus ponens genua orauit, resurrexit mortua mulier. Et quia super hunc Paulus incubuit, cumq; complexus est:

est: resurrexit mortuus adolescens. Quid ultra quæritur? Quid negatur uel dubitatur uiuentiũ bona defunctis posse prodesse, cum tam sublimibus exemplis doceatur, tantorũ Apostolorũ precibus præscriptos mortuos surrexisse? Quis iam uel mussitare audebit, frustra Ecclesiam pro mortuis orare, cum uideat summos magistros eius, & animas mortuorum ab ocultis iudiciorum dei sedibus inuisibiliter reuocare, & ipsa eorum corpora uisibiliter suscitare? Sufficit, sufficit plane & hæreticis negantibus, & Catholicis dubitantibus, hoc etiam si aliud non esset exemplum, iuste & ecclesiam orare pro mortuis, & si hoc præcedens uita mortuorum exigit, eius preces uel opera posse prodesse mortuis.

Sed ne hæc gratia illis tantum magnis Apostolis collata uideatur, accedant & inferiores, & eis similiũ operum potestatẽ a Christo concessam, ipsum Euangelium iã loquatur. Accedant non tantũ certe duodecim Apostoli: sed & lxxij. discipuli, & inter cætera quæ præcepta sunt audiant a Christo, mortuos suscitate. Et, ne his etiam solis tam mirandorum operum potentia data uideatur, attendant hi cum quibus mihi sermo est, non specialem aliquorum, sed generalẽ uniuersorum super his sententiã domini. Qui credit (inqt) in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ad quid est istud? Vt ostendam mortuorum resuscitandorum potestatem non solum duodecim Apostolis, nõ solum septuaginta & duobus discipulis, non solum alijs fidelibus qui Christũ in carne uiderunt, sed & omnibus uere credentibus, qñ certa salutis humanæ causa exigeret, esse cõcessam. Ad quid & istud? Vt in mortuorum resurrectione, uiuentibus a deo concessa gratia cognoscatur, & per orbẽ terrarũ, uiuorum precibus resurgentibus mortuis, ꝙ bona

Suscitare mortuos cõcessum est fidelibus multis.

Lucæ, 10.

Iohan. 14.

Conclusio.

uiuorum

uiuorum mortuis prodesse ualeant, nequaquam ulterius a uiuentibus dubitetur. Cum plane Apostolos, cum antiquos Prophetas, cum innumerabiles sub tempore gratię sanctos tam frequenter mortuos suscitasse audiatis, cum non malis suis sed bonis suis, cum non suis maleficijs sed dei beneficijs eos hoc fecisse cognoscatis: bona uiuentium mortuis posse prodesse, nequaquam aut uos hæretici negabitis: aut uos ultra catholici dubitabitis.

Obiectio. Quod si opponitis in Veteri scriptura de Helia & Helisæo, in libris nouæ gratiæ de Petro & Paulo tantummodo, quod mortuos suscitauerint, inueniri, Respondeo: in Canone quidem plura his exempla non legi, sed uerba uel præcepta domini quæ præmisi, sufficientissime pro exemplis debere haberi. Quid enim? nunquid quando legitur Christus imperasse discipulis, mortuos suscitate, quando legitur de omnibus credentibus dixisse, Qui credit in me opera que ego facio & ipse faciet: non creditur resurrectionem multorum mortuorum per discipulos prædixisse? Nam si ab eis mortui suscitati non sunt: aut quod præcepit Christus discipuli neglexerunt, aut quod præcepit non impleuerunt.

Responsio.

Potestas suscitandi mortuos fidelib. concessa. Sed ut ad unguem prosequar tergiuersantes, concedo eos mortuos non suscitasse: sed affirmo quod uos hæretici negare non potestis, suscitandorum mortuorum potestatem plenissimam accepisse. Quod si acceperunt re uera, aut uti, aut non uti poterunt. Qui si ea usi sunt, mortuos suscitauerunt. Si ea usi non sunt, non quidem suscitauerunt, sed suscitare mortuos potuerunt. Horum quodlibet concedatis: quod affirmamus negare non potestis. Nam si mortuos suscitauerunt, uti per præcepto domini, & bonis suis præcibus, suscitauerunt. Si non suscitauerunt, eodem eiusdem domini præcepto, & eisdem bonis suis præcibus suscitare poterunt.

Hoc quia constat, sicut si mortuos suscitassent, bona eorum mortuis profuissent: ita & si non suscitauerunt: bona tamen eorum si uoluissent mortuis prodesse potuerunt. Istis omnibus eo res peruenit: ut in accepta potestate suscitandorum mortuorum, siue suscitauerint mortuos siue non suscitauerint: hoc ostendatnr præcipuis sancti euangelij testimonijs, bona qualibet uiuentium, posse prodesse mortuis.

Sed fallum est tamen talem mortuorum resurrectionem, Christum & præcepisse & prædixisse: & præcepta & prædicta impleta non esse. Multi enim innumerabiles Christi discipuli extiterunt, qui per uniuersum orbem terrarum, inter alia infinita, et stupenda opéra sua, ea quæ Christo de suscitandis mortuis iussa sunt, seruauerunt: quæ prædicta fuerant, impleuerunt. Quibus cœlestibus & mirandis operibus, sapientiam mundi stultam facientes, potentiam mundi deo subijcientes, a morte æterna homines eruerunt, uitę sempiternę, quam amiserant restituerunt. Et quis eos enumeret? Dinumerabo eos (ait ille) & super harenam multiplicabuntur: quia a nullo mortalium numerabuntur. Opera (inquit Christus) quæ ego facio, qui credit in me, faciet: ut inter alia mirabilia, quia ego suscito mortuos, & ipse suscitet.

Innumera sanctorum miracula. Psalmo 138. Iohan. 14.

Et maiora (inquit) horum faciet. O excellens gratia, o superabundans benignitas: Maiora Christo Christianus faciet: maiora saluatore saluatus operabitur: maiora deo homo implebit. Quare hoc? quia ego ad patrem uado, quia a mundo corporaliter recedo, quia mortalibus oculis præsentiam meam subtraho: ne putet mundus, quod cum pręsentia mea, subtrahat ei gratia mea: ne estimet me sui oblitũ, quia se uidet corporaliter derelictum, ne arbitretur me ex toto hinc abijsse, quia uidet humanam formam in cœlum

Et maiora horũ faciet.

a secessis

Iohan.14. secessisse: idcirco maiorem gratiam terris infundo, idcirco alium paraclitum meis mitto, qui maneat cum eis in æternum, qui eos doceat omnem ueritatem. Idcirco maiorem plenitudinem spiritualium munerum: idcirco maiorem efficatiam mirandorum operum eis largior, ut de mea uisibili absentia consolentur: & ad ardenter exoptandam æternam meam præsentiam, multipliciter animentur. Ideo qui credit in me, non solum opera quę ego facio, & ipse faciet: sed & maiora horum faciet.

Eucharius suscitauit quadragenarium mortuum. Nam ut de cæteris admirandis hominibus, & mirabilibus eorum operibus taceam, nunquid non Eucharius ab Apostolo Petro ad prædicandum Germaniam directus, maiore miraculo quam Christus mortuum suscitauit? Suscitauit Christus, quatriduanum Lazarum, suscitauit Eucharius a Petro directus quadragenarium mortuum. Iacuerat exanimis Lazarus in sepulchro quatuor diebus, fuerat & hic mortuus in sepultura xl. diebus. Maiora igitur fecit Eucharius quam Christus, sed quia hoc uoluerat, & dixerat ipse Christus.

De frontone & Maurillio. Quod quidem & de multis alijs dicere possem, sicut uerbi gratia de sancto Frontone Petrogorensi, & Maurilio Andegauensi Episcopis. Quorum primus cum & ipse ab eodē sæpe dicendo Petro Apostolo, ad partes Aquitanicas mitteretur, Georgiū sociū iā ultra decem dies in uia mortuū, per ipsius Apostoli baculū de morte recepit. Alter uero longe post Apostolorū tempora, puerū quē propter hoc etiā postea Renatum uocauit, septem annos integros iam in monumento habentem, excellentissimo miraculo suscitauit. Quid hoc ad proposita? Vt ostendatur Christum hoc præcepisse, ut per uiuos mortui resurgerent, & idem doceatur, bona uiuorum mortuos procul dubio iuuare posse. Hæc de sacro Canone, pre-

ne, preter id quod de Euchario, Frontone, siue Maurilio, propter celebrem eorundem sanctorum famam posui, maxime contra hæreticos, qui non nisi Canoni se dicunt credere, dicta sufficiant.

Quidam catholici circa fidē languidi male dubitant.

Nam propter catholicos qui sanctos patres & Ecclesiæ dei doctores debita reuerentia suscipiunt, ponenda mihi uidentur ex eorum dictis & factis aliqua exempla & testimonia, ut qui fortasse hactenus eos minus studiose legerunt, amodo studiosius legant, eosque contra hanc etiam hæresim, ante multa sæcula uigilasse cognoscant. Propter catholicos autem dixi, quia in quibusdam regionibus, & si non multi, aliqui tamen esse dicuntur, qui & si huic premissæ ueritati aperte ut hæretici non contradicunt, ex his tamen quæ cum alijs conferunt, de ea dubitare sæpe probantur. Quorum ad hoc dubitatio dicitur processisse, ut consulti de his ab alijs tepide respondeam, & tam in sacrificijs deo pro mortuis offerendis, quam in eleemosynis erogandis, & in cæteris pietatis operibus, more ecclesiastico exercendis, aut deficiant, aut languescant. Istos nec hæreticos uocare debeo, quia in his nec publice nec pertinaciter ecclesiæ resistunt, sola enim pertinatia, ecclesiæ doctrinæ resistens, hæreticum facit, nec secure fideles nominare audeo, quia erga statuta ecclesiastica languere & tepere conspicio.

Hæreticus quis?

Diuersæ Ecclesiarum cōsuetudines.

Sunt equidem innumerabiles, & diuersissimę diuersarum ecclesiarum ad unam catholicam pertinentium consuetudines, ut pene tanta sit uarietas usuum, quanta multiplicitas ecclesiarum. Sed non damnat aliquem diuersa institutio, quæ & ueræ fidei inseruit, & Charitatis compaginem non dissoluit. Vbi uero aut fides lęditur, aut Charitatis

unitas periclitatur, si occulte fit, damnabile est, si publice, damnabile simul & hæreticum est. Istud ad hoc intuli, ut qui bona uiuorum mortuis, qui digni sunt, prodesse denegat, non ad eam quam præmisi bonorum u uum uarietatem, sed ad communis fidei læsionem pertinere cognoscat. Et quia hoc ad læsionem fidei pertinet, sicut publica pestis hæretica expellenda, sic oculta languentium passio, si poterit fieri, remedijs medicinalibus est curanda.

Remedia cõtra dubitationes, sunt dicta & exẽpla sanctorum patrum

• Medicinalia autem remedia, patrum catholicorum exempla, & monita dico, ut quæ hæreticis prodesse non possunt, a quibus non audiuntur, prosint uel istis a quibus suscipiuntur. Nam non paruum in regno cœlorum, uel in ecclesia dei locum, doctores tenent ecclesiæ dei, cum uel de regno cœlorum uel de ecclesia dei dicat ipse deus.

Math. 5. 1. Corin. 12.

Qui fecerit, & docuerit, magnus uocabitur in regno cœlorum, & Apostolus in Epistola ad Corinthios, in sublimi, hoc est, tertio post Apostolos, & Prophetas gradu, eos constituit, cum dicit. Quosdam quidem posuit deus in ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio doctores, deinde uirtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.

Acquiescendum dictis S. Patrum.

Audite igitur quicunque talium aliquid animo uersatis, audite sanctos, magnos, & post Apostolos, & Prophetas, præcipuos doctores ecclesiæ, & si filij eorum estis, patribus, si discipuli, magistris adquiescite. Nec quamlibet acutos, quamlibet subtiles intellectus uestros præpostero ordine eorũ uelitis sensibus ante ferre quia (ut ueritas ait) perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius. Nos tñ, quoniam ꝓut res ipsa patitur, breuitati operam damus, nequaꝗ̃

Luc. 6.

de omnibus qui in ecclesia celebre nomen doctorum obtinent, & quos uel Græcos uel Latinos testes habere possemus, exempla posuimus. Sufficere namq; debere iudicauimus, si illorum tantum, qui in arce latinitatis, cuius linguæ homines sumus, autoritate & scientia cæteris eminent, testimonia producamus.

Beatus ergo Ambrosius Mediolanensis episcopus, quē (sicut de ipso antiquitus dictum legitur) ne inimicus quidem unquam ausus est repræhendere, in sermone quem de obitu magni Theodosij imperatoris ad populum habuit. Dilexi (inquit) uirum, qui me in supremis suis ultimo spiritu requirebat. Dilexi, & præsumo de domino, quod suscipiat uocem orationis meæ, qua prosequor animam piam. Et post aliqua. Conteror corde, quia ereptus est uir, quē uix possumus inuenire. Sed tamen tu solus domine inuocandus es, ut eum in filijs repræsentes. Da requiem domine perfectam seruo tuo Theodosio, requiem illam quam præparasti sanctis tuis. Illo conuertatur anima eius, unde descendit: ubi mortis aculeum sentire non possit, ubi cognoscat mortem hanc non naturæ finem esse, sed culpæ. Item post modicum. Dilexi (inquit) & ideo prosequor eum usq; ad regionem uiuorum: nec deseram, donec fletu ac precibus inducam uirum, quo sua merita uocant in montem domini sanctum.

Ambrosius de obitu Theodosij Imp.

In libro autem quem de consolatione Valentiniani & Gratiani Imperatorum scripsit, orans pro ipso Valentiniano in bona fide defuncto. Ne quæso (ait) domine a fratre se iungas, nec iugum hoc pię germanitatis abrumpe. Dona patri filium, fratri germanum suum, quorum utrunq; imitatus est: alterum fide, alterum deuotione pariter atq; pietate. Et post aliqua. Et huic (inquit) adhuc intercessionē adscisco,

Idem in oratione de obitu Valentiniani Imp. II

cui remuneratione præsumo? Date manibus sancta myste- ria: pio requiem eius poscamus affectu. Date sacramenta coe lestia, Animam piam nostris oblationibus prosequamur. Extollite populi mecum manus in sancta, ut eo saltem mu- nere, uicem eius meritis rependamus. Non ego floribus tu- mulum eius aspergam, sed spiritũ eius Christi odore perfun

Canti. 2. dam. Spargant alij plenis lilia calathis, nobis Christus est lilium: hoc reliquias eius sacrabo: hoc eius commendo gra- tiam. Nunquam ego piorum fratrum separabo nomina, uel merita discernam. Scio quod dominum commemora- tio ista conciliet, & copula ista delectet. Dehinc post pluri- ma. Beati (inquit) estis ambo: si quid meæ orationes uale- bunt. Nulla dies uos silentio præteribit: nulla inhonora- tos uos mea pertransibit oratio. Nulla nox non donatos ali qua precum mearum contextione transcurret. Omnibus uos oblationibus frequentabo.

Idem In libro de excessu fratris sui Satyri ca. 1.

Idem in libro primo de excessu fratris sui Satyri. Fleue- runt (ait) pauperes, & quod multo preciosius est, multoq; uberius, lachrymis suis eius delicta lauerunt. Illæ sunt la- chrimæ redemptrices: illi gemitus qui dolorem mortis ab- scondunt. Ille dolor qui perpetuæ ubertate lætitiæ, ueteris sensum doloris obducat. Item in fine libri eiusdem. Tibi (ait) nunc omnipotens deus, innoxiam animam commẽ- do: tibi hostiam meam offero: cape propitius ac serenus fra- ternum munus, sacrificium sacerdotis.

In secundo autem libro. Nos quoq; ipsi (inquit) natales dies defunctorum non obliuiscimur, & eum quo obierunt diem, celebri solennitati celebramus. Et in eodem post ali- qua, parentes ad eleemosynas pro defunctis filijs faciendas exhortans.

exhortans. Nec tu (inquit) perdidisti hæredem, quem adiuuas, cohęredē habes, qui tibi repræsentet hæredem, Da pauperi quod debetur hæredi, ut non solum maternæ aut patrię senectutis, sed etiam uitæ propriæ sit superstes. Plus successori tuo mortuo relinques, si portio eius non ad luxum præsentium proficiat, sed ad pretium futurorum. Ecce magnus & per totum orbem Christianum nominatus Ambrosius, non solum orare & eleemosynas facere pro defunctis fidelibus docet, sed etiam ipse orat, sacrificia offert, lachrymas fundit, & (ut idem hic fatetur) anniuersaria celebrat, quatinus tanta sacerdotis dei tuba, hæretica impietas increpata, ulterius mutire non audeat.

Gloriosus uero, ac post Paulum Apostolum, singularis magister ecclesiæ Augustinus, cum Paulini quæstionibus de cura pro mortuis agenda responderet: inter alia multa, quæ ibi ad huius rei assertionem ualde probabilia diserta atque fortissima scripsit. Genere (inquit) uitæ, quod gessit quisq; per corpus, efficitur, ut prosint uel non prosint quæcunq; pro illo pie fiunt: cum reliquerit corpus. Ita fit ut neq; inaniter ecclesia, uel suorum cura pro defunctis quod potuerit religionis impendat, & tamen ferat unusquisq; secundum ea quæ per corpus gessit. Dehinc post pauca. Cum itaq; (inquit) recolit animus, ubi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris uenerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat, recordantis, & precantis affectus. Qui uidelicet affectus; cum defunctis a fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est, his qui cum in corpore uiuerent, talia sibi post hanc uitam prodesse meruerunt.

Augustinus de cura pro mortuis gerenda. cap. 1.

Nec sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorū; quas faciēdas p omnib, i Christiana et catholica societate

Orandū pro defunctis.

sotietate defunctis, etiam tacitis nominibus eorum, suscepit ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes aut filij, aut quicunque cognati uel amici, ab una eius exhibeatur pia Matre communi. Et si non possit religiosus animus ubi elegit humare quem diligit, nullo modo tamen debet a supplicationibus necessarijs in eius commendatione cessare. Nec æstimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire: nisi quod pro eis siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificijs solenniter supplicamus. Quamuis non pro quibus fiunt omnibus prosint: sed eis tantum, a quibus dum uiuunt, comparantur ut prosint. Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere: ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint uel debeant peruenire.

Aug. In Enche. c. 110. In libro quoque Enchiridion, quem ad Laurentium scripsit. Neque negandum est (inquit) defunctorum animas pietate suorum uiuentium releuari: cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, uel eleemosynæ quæ in ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum uiuerent hæc sibi ut postea possent prodesse, meruerunt. Nota. Est enim quidam uiuēdi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem: nec tā malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est & talis in bono: ut hæc non requirat. Et est rursus talis in malo, ut ne his ualeat adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc uitam, releuari quispiam uel grauari. Non igitur ista quæ pro defunctis comendandis frequentat ecclesia, illi apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictū Rom. 14. 2. Cor. 5. est. Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, siue bonum siue malū, quia etiam hoc meritum sibi quisque dum uiueret comparauit, ut ei possent ita prodesse. Cum ergo sacrificia siue altaris, siue

ris, siue quarumcunque eleemosynarum, pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro ualde bonis gratiarum actiones sunt: pro non ualde malis, propitiationes sunt: pro ualde malis, etiam si nulla sint adiumenta mortuorum, qualescunque tamen uiuorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio aut certe, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Sed & in libris confessionum quid de hac re tãtus homo dei senserit, cũ uitam & obitũ beatę matris suę narraret, lucidissime expressit, inter alia sic referens. Cum ecce ait corpus elatũ est, imus, redimus sine lachrymis. Nã neq; in eius precibus quas fudimus cũ offeretur p ea sacrificiũ precij nostri, iam iuxta sepulchrũ cadauere posito, fleui. Deinde in fine orationis quã pro eadẽ matre defuncta in eodẽ libro affectuosissime fundit. Inspira (inquit) dñe meus, deus meus, inspira seruis tuis, fratribus meis, filijs tuis, dominis meis, quibus et uoce et corde et literis serulo, ut quotquot hęc legerit, meminerint ad altare tuũ Monicę famulę tuę, cũ Patricio quõdam eius coniuge: per quorum carnem introduxisti me in hanc uitã. Meminerint cũ affectu pio parentum meorũ, in hac luce transitoria: & fratrũ meorum, sub te patre in matre catholica, ciuium meorum in ęterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu usq; ad reditum. Vt quod illa a me poposcit extremum, uberius ei prestetur in multorum orationibus, tã per cõfessiones, quã per orationes meas.

Aug. Confess. lib. 9. c. 12. & 13.

Monica mater D. Aug.

Quid autem beatus & magnus papa Gregorius de hoc uel scripserit uel dixerit, uel ipse in suo monasterio Romę fecerit: quoniam & uita eius, & Homiliæ eius & dialogus eius, ab innumerabilibus minusq; etiam eruditis ac simplicibus fratribus, quotidie, ac pene sine inter missione, et recitantur, & audiuntur, & leguntur, & intelliguntur, nõ nobis ui-

Gregorius.

Paulinus Nolæ Episcopus.

detur necessarium per singula enarrare. Veruntamen Paulinum beatissimum Nolanū episcopū, quē & ipse magnus Gregorius patrem antiquum nominat, & de quo rem mirabilem ac singularē in suo dialogo refert, qui euā supra dictorum patrum Ambrosij & Augustini contemporaneus, notusq; ac familiaris extitit: nullatenus intermittā: et quid in suis epistolis quas ut uir (teste p̄misso papa Gregorio) exterioribus quoq; studijs eruditus ad diuersos scripsit, de beneficijs quę pro defūctis fidelibus in ecclesia fiunt senserit: uerba ipsius ponendo edisserā, ut uidelicet tantorū quatuor sanctorū et episcoporum idest Ambrosij, Augustini, Gregorij, Paulini testimonio, uice quatuor Euāgelistarū, qualē ab antiquo sententiam de hoc unde agimus, uniuersalis ecclesia teneat, uel tenere debeat, tam futuris quam præsentibus Christianis, autoritate clarissima elucescat.

Epistola Paulini ad Delphinum Quinta.

Ait igitur antiquus & nobilis Paulinus, in epistola ad Delphinum Burdegalensem episcopum, suum s. spiritualem in baptismate patrem: rogans eum orare pro quodam fatre suo carnali defuncto, qui moriens minus prouide, quantum ad animam res suas disposuerat. Breues (inquit) sanctæ affectionis tuæ literas, magno affectu nobis copiosas: in toto quo desiderauimus corde suscepimus. Sed quia omni rei tempus est, nunc in tempore contristationis, tempus etiam breuiandi sermonis esse uisum est. Contristatos autem nos uehementer fatemur, non tantum de obitu corporali fratris nostri, quantum de negligentia eius spirituali, qua relinquendarum istic potius curarum, quam prouidendorum illic remediorum memor, posthabenda præposuit, & preponenda posthabuit: quem oportuerat & illa potiora pro se curare, & hæc temporalia pro filijs non prætermittere. Vnde petimus, ut paterna affectione huic nostro do-

lori

lori compatiens, meminisse digneris, et illum quondam spiritualem tibi filium gratia dei fuisse progenitum, & ideo tuę specialiter curæ hanc esse causam, ne pietatem tuam, quæ nobis filijs gloriabatur, dilapidata hæreditariæ portionis substantia confundamus: sed potius ut orationibus tuis condonetur tibi, ut & illius animam, uel de minimo sanctitatis tuæ digito distillans refrigerij gutta respergat, & nobis dum tempus est, recurrentibus ad te, diuina miseratio te interueniente succurrat.

Idem in epistola ad Amandum episcopum: de eadem & pro eadem re. Sermo (ait) uester dulcedinē simul ac uigorem uerbi cœlestis tenet, & nobis ministrat: ut nos etiā uestræ prudentiæ sale condiamur. Et ideo nos quoq; imitabimur in hac epistola parsimoniam sermonis uestri, et si plenitudinem sensus non ualemus imitari, hoc tantum respondētes, ꝙ precipua cum hæc scriberemus cura nobis erat, ex recenti dolore fraternę diuisionis: quē & si tēporaliter ab hoc seculo sciamus assumptum, in illo nobis cito consequendū, tamen ea uerius causa obisse lugemus, quia ex his quæ gesta ab ipso ★ in finem uel ordinata sunt: peccatis magis nostris, quam uotis congrua egisse perspeximus: ut mallet ad dominum debitor transire quam liber. Ob hoc impense rogamus, ut quasi frater, quod nobis in domino esse dignaris, unanimos fratres iuuans, & hanc meritis fidei tuæ mercedem accumules, ut pro eo infirmitati nostræ compatiaris, & orandi labore conspires: ut miserator & misericors dominus, qui facit omnia quæ uult in cœlo, & in terra & in mari, & in abyssis, refrigeret animam eius stillicidijs misericordiæ suæ, per orationes uestras. Quia sicut ignis accensus ab eo ardebit usque ad inferos deorsum, ita procul dubio etiam ros indulgentiæ eius, inferna penetrabit,

Idem ad Amandum epistola.

alias ★ ad finem eius.

Psalmo 134.
Deutro. 32.

trabit: ut roscido pietatis eius lumine, in tenebris ardentibus estuantes, refrigeremur. Ora pro nobis, ne in peccatis nostris moriamur.

Paulinus ad Pammachiū senatorem Ro.

In epistola uero quam ad Pammachium urbis Romę senatorem, super uxoris obitu consolatoriā scripsit, prędicans ac sum̄is laudibus efferens, quam in pauperes pro requie defunctæ coniugis eleemosynam predictus senator erogare studuerat. Veniam (inquit) ad predicationem operum tuorum, & ad pios actus de lachrymarum sanctitate transibo. Sua enim cuiq; parti debita persoluisti. Lachrymas corpori fundens: eleemosynam animæ infundens. Vere conscius ueritatis, & filius lucis. Vbi mortem sciebas esse fleuisti, ubi uitam credis, operatus es. Vacuis inania, uiuis uiua dependens. De hinc post multa talia, & his similia, epistolam in laude pij operis claudens. Habes (inquit) iam in Christo magnum tui pignus, & ambitiosum suffragium: coniugem scilicet, quæ tibi tantum gratiæ in cœlestibus parat, quantum tu illis in terris opulentiæ suggeris, Non illam (ut dixi) cassis luctibus honorans, sed uiuis muneribus accumulans, quibus illa nunc gaudet. Iamque illi huius operis tui usus in fructu est, cuius adhuc tibi munus in semine. Iam honoratur tuis illa meritis: iam pascitur tuis panibus, & affluit tuis operibus. Non eget alienæ manus digito refrigerari, proprijs ipsa digitorum suorum roribus idest dextræ tuæ operibus infusa. Non æque ampla dote nubentem locupletaueras, ut nunc ditificas quiescentem. Quantam tunc partem tuorum munerum cæpit, cum eo solo quod poterat induere frueretur. Nunc quantumcunque contuleris, totum simul omnium sensuum uoluptate, diues anima possidebit. Beata cui tam numerosa apud Christum suffragia sunt, & cuius

Hæc epistola inter æditas a Badio nō habetur, sed alia quędam de obitu uxoris Pammachij huius. Nisi forte hæc illius sit supplementum.

cuius caput tam multiplex ambit illustrium corona gemmarum: Non alienis in texta floribus, sed domesticis corusca luminibus.

Nec certe sanctum presbyterum Hieronymum nobis ullo modo deesse patiemur, ut scilicet singularis eloquentiæ spiculo, sicut olim antiquorum, sic etiam nostri temporis hæreticorum pectora uenenata transfodiat. Qui cum ad eundem supra nominatum Pammachium senatorem, eodem tempore & super eadem causa consolatoriam epistolā scriberet, elemosinam pro defuncta coniuge factam solito eloquij splendore multipliciter extollens, inter cætera sic ait. Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt uiolas, rosas, lilia, floresq; purpureos, & dolorem pectoris his officijs consolantur. Pamachius noster sanctam fauillam ossaq; uenneranda, elemosinæ balsamis rigat. His pigmentis atq; odoribus fouet cineres quiescentes: sciens scriptum. Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.

Hieronymus ad eundem Pammachium.

Eccle. 3.

Hæc igitur & his similia sancti doctores ecclesiæ dicentes, quid aliud quam bona uiuorum mortuis prodesse, luce clarius ostendunt: & impiam hæresim, diuini uerbi gladio trucidantes, etiam nostrorum quorundam, quos supra tetigimus, circa pietatem languentium somnolentiam repræhendunt? Caueat ergo quisquis est, ne nimium sibijpsi iustus, contra hanc pietatis, & misericordie doctrinam, non sine spiritus sancti autoritate tantis ante nostra tempora sæculis, ab uniuersa Ecclesia unanimiter susceptam, & pia consuetudine roboratam: ulterius cogitare uel disputare audeat, ne & aliorum erga defunctos fratres misericordiam, sua nimis restricta iustitia impediat: & cum ipse forte indiguerit, a misericordia quam alijs interdixit, alienus existat: Beati enim (sicut longe superius a domino dictum commemorauimus)

Conclusio, q uiuorum bona opera defunctis prosunt.

Math. 5.

rauimus) misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Probatur bona mortuorum uiuis prodesse.

Hinc ad partitionis nostræ ultimam particulam stilus se stinet, & sicut bona uiuorum mortuis posse prodesse ostendit: sic mortuorum bona uiuentibus proficere posse demon stret. Refert præmissus secundus Machabeorum liber, belli cosum illum deoq; fidelem Iudam Machabæum, cum Nica nore, Pagano principe dimicaturum, oratione diuina & cō stanti ad pugnam exhortatum esse socios: & inter cætera, somnio, diem belli præcedente, uiso: ad spem uictoriæ multo magis animasse. Erat autem (ut scriptura loquitur) huius modi uisus. Oniam, qui fuerat summus sacerdos, uirum bo num & benignum, uerecundum uisu, modestum moribus, & eloquio decoratum, & qui a puero in uirtutibus exercita tus sit, uidebat manus protendentem, orare pro omni popu lo Iudæorum. Post hęc apparuisse, & alium uirum ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudinē circa illum. Respondentē uero Oniam ei dixisse. Hic est frm̄ amator et populi Israhel. Hic est qui multum erat pro populo, & uniuersa sancta ciuitate, Hieremias Propheta dei. Extendisse au tem Hieremiam dexteram, et dedisse Iudæ gladium aureū, & dicentem. Accipe sanctum gladium, munus a deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.

2. Mach. 15.

Declaratio historiæ ad propositū.

Quo ergo exemplo ꝙ bona mortuorum uiuentibus pro desse ualeant, clarius elucere potuit? Nonne tibi uidetur qui cunq; hęc legis, uisionem hanc bono uiro illi Iudæ Machabeo idcirco ostensam, ut more consueto per tēpora Iudaica, docerentur tempora Christiana? Nunquid non aduertis, di uinam ★ arcem sapienter suis omni tempore prouidentē, ea uisione, & suis Iudæis eo tempore uictoriam de hostibus cō tulisse: & suis Christianis nostro tempore, triumphum de

★ Artem.

resisten

resistentibus prouidisse? Ecce orat iustus, & iam pro iustitia Hierosolymis occisus sacerdos Onias, ecce orat sanctus, & pro ueritate in Aegypto lapidatus Propheta Hieremias. Orant certe iusti isti iam mortui, deum pro Iudaeis adhuc uiuentibus: non est credendum praeces sanctorum mortuorum posse prodesse uiuentibus?

Necesse est ergo ut aut cedatur libro qui diuinus esse creditur, & in eo suscipiantur ista, aut si ecclesiae sumpta autoritate iste reijcitur, in illo reijciantur & ista. Sed si ecclesiae autoritati istum suscipienti defertur: necessario a fidelibus suscipietur. Quod si admissus fuerit, in illo etiam dicta uisio admittetur. Aug. contra secundam Gaudentij Epistolam lib. 2. cap. 23.

Sed forte aliquis hoc somnium fuisse, & ut uana somnia contemnendum esse cauillabitur. Non nego plane, sicut saepe uana somnia, sic saepe esse etiam contemnenda, nec immemor sum sapientiae quae dicit: Multas curas sequuntur somnia, nec mente excidit Deutrononomij praeceptum, quod dicitur. Non augurabimini, nec obseruabitis somnia, sed sicut non semper uera, ita non semper falsa, sicut non semper approbanda, ita non semper reprobanda somnia esse confirmo. Quod profecto nemo sanae mentis negabit, quicunque Pharaonis et Nabuchodonosoris Regum: quicunque Ioseph de Genesi, & Ioseph de Euangelio recordatus fuerit. Scrutetur insuper omnem historiam Veteris & Nouae legis, et si uel unum in ea somnium uanum esse inuenerit, cuncta absque exceptione somnia uana esse dijudicet. Nota de somnijs. Eccles. 5. Leui. 19. Gen. 12. Dan. 2. & 4. Gene. 37. Math. 1.

Sed forte effectus uictoriae non est subsequutus: ideoque uisio contemnenda: Non ita est. Victus est enim in crastino a populo dei. Paganus exercitus, & aureo gladio praeclarum uictoriae triumphū signante, dux ipse prostratus, caput eius truncatum, Victoria Iudae.

truncatum, dextra superba præcisa, lingua blasphema euulsa: & frustratim in pastum auibus data.

Probatio alia, quæ ex Apocalypsi sumitur.

Et licet propositum exemplum ad ostendendum, quod mortuorum bona uiuentibus possint prodesse, plene sufficiat: accedat tamen & apostolicæ reuelationis (quæ græce Apocalypsis dicitur) dignius testimonium, & inde mortuorum querelas de uiuentibus factas, & a deo, inæternum uiuente, exauditas, ueridica relatione demonstret. Cum aperuisset (inquit) agnus sigillum quintum, uidi sub altare dei animas interfectorum, propter uerbum dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant uoce magna dicentes. Vsquequo domine sanctus & uerus, nõ iudicas, et uindicas sanguinem nostrũ de his qui habitant in terra? Et quid sequitur? Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Sed quid respõsum est? Dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleantur conserui eorum, & fratres eorum qui interficiẽdi sunt sicut illi. Cernis lector, dilatas quidem, sed exauditas adeo quærelas martyrum sanctorum? Mortui tamen erant illi qui quærebantur: uiuebant de quibus querebantur. Vnde ut illi mortui ostendantur, animæ interfectorum clamasse dicuntur. Et ut isti uiuentes probentur, habitantes in terra uocantur. Mortui ergo, qui de uiuentibus conqueri potuerunt, pro uiuentibus, si uoluerint, rogare non poterunt? Licebit eis conqueri, & non erit licitum deprecari? Vindictam sanguinis poterunt exigere, & pro mitiganda scelerum uindicta non poterunt exorare?

Apoc. 6.

Alia rursus probatio, ex Euangelio Luc 16. Fer. Fratrib.

An eam libertatem orandi quod iustum fuerit, amittent sancti in cœlo, quã nec perditus diues perdidit in inferno? Ardebat ille in flammis infernalibus, & pro parẽtibus (qui adhuc in mundo uiuebant) orabat: ac licet dignus non fuerit exaudiri, potuit tamen pro eorum salute Abraham deprecari.

præcari. Indicat hoc responsio Abraham ad ipsum, quod quamuis iustum non fuerit ut ille audiretur, non tamen esset contra iustitiam, ut pro uiuentibus iustus quilibet præcaretur. Non enim dixit ei: tace, orare nõ debes: non es exaudiendus nec etiam audiendus: sed rationem reddens petenti ut mitteret Lazarum in domũ patris sui, ut testaretur fratribus suis, ne et ipsi uenirent in locum illum tormentorum: subiunxit. Habent Moysen & Prophetas: audiant illos. Ac si diceret, Si Moysen et Prophetas audiunt, non uenient in locũ hunc tormentorum. Cumque ille repeteret: Non pater, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent: rursus cũ ratione repellens Abrahã ait. Si Moysen et Prophetas non audiunt neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Non exaudiuit ergo Abraham diuitem deprecantẽ, quia exaudiendus non erat, sed quia hunc ratione non imperio reppulit, quod aliquando pro uiuentibus exaudiri possent mortui indicauit.

Scio equidem, nec adeo brutus sum, ut tam aperta nõ uideam, tam clara non intelligam: aliomodo hic positos, alio hinc translatos sanctos, deum pro alijs deprecari: quia hic in orationibus pro salute aliorum sanctis, & pietas iuncta miseriæ, ibi misericordia nihil detrahens gloriæ. Comunicat iustus hic quodammodo aliorũ miserijs, quãdo misericorditer orat pro miseris, sed postquam miseria comutatur in gloriã, non potest fundi miserãda oratio, quã comitatur incomutabilis beatitudo. Non est igitur necesse eos genua flectere, nõ lachrymas fundere, non fundendo uerba multiplicia laborare, quia in ciuitate illa (quæ propter singularem preciositatem auro mundo, quæ ꝓpter luciſluã perspicuitatem uitro mũdo comparatur) sicut pij affectus deo noti sunt, sic eos deo exaudiente, sola sui repræsentatione quibuslibet dignis subueniunt. Qui quoniã iam nihil uelle possunt, quod a dei discor

Differenter nostri miserentur sancti in terra et sancti in cælo.

Quomodo in cælo pro miseris orãt beati.

Apoc. 21.

det iustitia: statim pro alijs eorum exauditur misericordia: Hoc igitur modo non misero sed beato, ibi sancti orant pro alijs, ubi eorum oratio, sanctum est desiderium, ubi precum exauditio, est indultum beneficium.

Diuos inuocare, mos est uniuersalis Ecclesiæ.

Hinc illa cælestis & beata a spiritu dei in ecclesiam deriuata est consuetudo: ut quos uere sanctos, & deo coniunctos æstimat, adhuc in præsenti agone desudans ecclesia, ut sibi subueniant, interpellet. Inde assidue preces, inde frequentes letaniæ, inde continuata supplicatio: quibus omnibus non solum deum repropitiari sibi supplicat, sed et sanctos (ut impetrare hoc eis mediantibus possit) exorat. Hac sua autoritate & sancta consuetudine, cui ab antiquo, orbis uniuersus, nullo contradicente, cessit: hoc admonet, hoc præcipit, hoc suadet credere, bona scilicet mortuorum uiuentibus posse prodesse, dum se suosque in carne uiuentes, beatis mortuis assidue non desinit commendare.

Bona mortuorum uiuis prodesse possunt.
Exod. 3.
Math. 22. & Marci. 12.
Exod. 32.

Intelligit Christo suo docente instructa, mortuos illos, quibus supplicat, deo uiuere, cum audit eum sumpto de Exodo testimonio in Euangelio dicentem. Deus non est mortuorum sed uiuorum, omnes enim uiuunt ei. Recordatur. & sanctos antiquos, mortuorum meritis, deum uiuentibus repropitiari postulasse, sicut in eodem, pro idolatra populo deum deprecans, Moyses dicit. Quiescat ira tua domine, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham & Isaac & Israhel seruorum tuorum. Ecce Moyses bonis meritis Abraham, Isaac, & Israhel mortuorum, deum populo repropitiare cōtendit, & obtinet, et quod bona mortuorū, aliquando uiuētibus possint ꝓdesse, docet.

Propter Dauid parcitū est Salomoni.
3. Regum. 2.

Accedat huc & ipsa uox domini, dicatq; Salomoni peccanti. Quia habuisti hoc apud te, et nō custodisti pactū meū, & pręcepta mea quę mandaui tibi disrumpens, scindam regnum tuū, & dabo illud seruo tuo. Veruntamen in diebus

tuis

tuis non faciam propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui scindam illud, Nec totũ regnum auferam, sed tribũ unam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meũ, & Hierusalem quã elegi. Itemq; per Ahiam Siloniten Prophetã. Non auferam regnũ de manu eius, sed ducem ponam eũ cunctis diebus uitæ suę propter Dauid seruũ meum quem elegi, qui custodiuit mandata mea & pręcepta mea. Et uersu intermisso. Filio autẽ eius dabo tribum unam, ut remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus coram me, in Hierusalem ciuitate quã elegi, ut esset nomẽ meũ ibi. Et quis tã lucidę ueritati recalcitrare audebit? Ecce peccanti, imo quod omnibus peccatis deterius est, idolatræ Salomoni, iustitia patris mortui, regnũ reseruat, & ne cunctis diebus uitæ eius saltẽ imminuatur, excusat. Filium quoq; eius, totamq; in æternum progeniẽ ne ex toto a regno decidat, defendit, eiq; regiam et perennem potestatem præcelsis meritis etiã delinquenti conseruat. Et quæ sunt merita illa? propter Dauid (ait deus) seruum meum quẽ elegi, qui custodiuit mandata mea et pręcepta mea. Ecce quia custodiuit Dauid mandata dei & præcepta dei, non solum sibi profuit, sed & filijs & hæredibus suis regalem (ut dixi) potentiam apud deum, etiam peccantibus, ipse mortuus conciliauit. Exclusa est ergo dubietas, & sacris oraculis infidelitas omnis explosa, ut si Patriarchis, si Prophetis, si deo ipsi creditur, quod mortuorum bona uiuentibus prodesse ualeant, a nullo ulterius dubitetur.

Veniat tamẽ in tribus illis nominatis pueris Hebręis medius Azarias, et quid in fornace Babylonica constitutus, eãque potente uirtute exuperans de his senserit, attestetur. Ne quæsumus (inquit) domine tradas nos in perpetuũ, ꝓpter nomen tuum, et ne dissipes testamentum tuum, neq; auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abrahã dilectũ tuũ, & Oratio Azariæ in camino ignis. Dan. 3.

Isaac seruum tuum, & Israhel sanctum tuum. Ecce hij in periculo tanto positi, igneis globis & flammarum uolumine circunsepti, horrendam mortem suam, nō de proximo expectantes, sed præsentem intuentes, nullum sibi tutius refugium, q̄ sanctorum mortuorum merita credunt, eisq; non tantum sibi ab ignibus ereptionē, sed & sibi & toto generi suo, ab instanti captiuitate & miserijs implorant liberationē. Et ut ostenderet deus bonorum mortuorum merita, uiuorum posse pericula mitigare, tam fide sua quam meritis mortuorum sanctorum, quos inuocauerant, & illos illæsos cum uestibus intactis ab ignibus eripuit, & quid de mortuorum meritis uiui sentire deberent, monstrauit.

Merita mortuorum uiuis prodesse possunt. 2. Mach. 1.

Idem & boni qui tunc temporis in Iudæa erant Iudæi, fratribus suis propter Aegyptum constitutis, in exordio supra scripti Machabæorum libri, sic mandant. Benefaciat (inquit) uobis deus & meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abrahā, Isaac & Iacob seruorum suorum fideliū. Ac si diceret. Vt uobis uiuentibus deus benefaciat; meminerit illorum bonorum mortuorum, Abraham, Isaac, Iacob, & tā pacto testamenti sui, quam meritis ipsorum, det uobis cor ut colatis eum, & faciatis eius uoluntatem, corde magno & animo uolenti. Adaperiat cor uestrum in lege sua, & in pręceptis suis, & faciat pacem. Exaudiat orationes uestras, & reconcilietur uobis nec uos deserat in tempore malo. Ista certe omnia bona uobis uiuentibus, illorum mortuorum bonis meritis faciat, & quod bona mortuorum sæpe uiuentibus prodesse possint, ostendat. Habentur his quæ posui exemplis in sacris literis multa similia, sed quia hæc legentibus plene sufficere posse putaui, ne insuper plus nimio multiplicata tædium generent, ea ponere recusaui.

Epilogus.

Autoritate igit̄, quę maxime in diuinis p̄cellit, et ratione, quæ

quæ tam in diuinis quam in humanis bonum a malo, iustũ ab iniusto, uerum a falso discernit, sufficienter probatum, & tam hæreticis quã catholicis persuasum esse arbitror: quod sicut partitionis præmissæ membra se habent, bona uiuorũ uiuis, bona mortuorum mortuis, bona uiuorum mortuis, bona mortuorum uiuis aliquando possint prodesse: nec iuste uel rationabiliter hoc aliquem posse negare.

Quæ cum ita sint, & ego teste conscientia mea ad utilitatem ecclesiæ dei, cui quod possum debeo, hoc scribere decreuerim: ut pote in cuius gremio ab utero educatum me esse scio: & sub cuius fidei, & charitatis alis me saluandum, & ad ea quæ spero, quandoq; subleuandum esse confido: rogo lectorem, moneo auditorem, ut quod pro utilitate (ut dixi) ecclesiæ scribere uolui, utiliter legant, salubriter audiant. Ad quid hoc dixi? quia, ut ipse expertus sum, sicut sunt quidam nimium diffidentes, ita sunt quidam nimium confidentes: ita ut & illi desperatione sua, & isti nimia (ut sic dicatur) spe sua, uel periclitari uel prorsus excidere uideantur. Intentio scriptoris.

Nam sicut illi contra quos egi hæretici, bona uiuorum mortuis nullo modo prodesse astruunt: sic isti quos noto, nimium (si dici potest) catholici, de bonis qui ab ecclesia uiuentium, pro mortuis fiunt, inordinate præsumunt. Adeo autẽ quidam talium inordinate præsumunt, ut confidentes in his, uel præcibus pijs, uel operibus bonis quæ a uiuentibus pro mortuis fiunt, ipsi a præcum & operum bonorum feruore tepescant: et quod ad uniuersorum salutem institutum est, in suam decepti perniciem uertant. Hi plane de antidoto uenenum, de salute exitium, de uita mortẽ, stulto sibi cõmertio emunt, & cum Apostolus dicat. Expectantes beatam spem, et spe salui facti sumus, cum spe saluari debuerint, contra spem spe pereunt: quia qualiter uti spe debeant, non attendunt. Aliqui nimium confidũt & spe sua decipiunt seipsos. Titum. 2. Rom. 8.

Nou. attendunt. Non attendunt sane, quod non alienis bonis, sed proprijs operibus, præcedente & comitante gratia, uita principaliter adquiritur æterna. Principaliter autem dixi, quoniam tanta uiuentis propria saltem debent esse merita, ut ei iã mortuo prodesse debeant aliena. Prodesse uero non poterunt, nisi tanta fuerint uiuentis bona, ut eis tam iuste quam misericorditer uita debeatur æterna. Nam si ad uitam æternam, gratia dei et subsequentibus meritis prædestinatus est: utiq; in libro uitæ ascriptus est.

Adscripti in libro uitæ quomodo saluantur. Luce. 20. Quod si in libro uitę ascriptus est, iuxta saluatoris uerba, filius dei, & filius resurrectionis est. Hoc quicunq; obtinebit, fide, quæ per dilectionem operatur, hoc obtinet. Fide ergo & dilectione hoc eum dum uiuit oportet agere, ut ad filios dei & hærêdes pertineat uitæ æternæ. Hoc postquam habuerit, si in hoc statu ex hac luce migrauerit, poterunt quamlibet aliam eius imperfectionem multimoda uiuentium bona perficere: ea quæ purganda remanserant purgare, & ad expiandas uel leuiandas grauioris purgationis pœnas, & ad eradendam omnem reliquorum peccatorum rubiginem, adiuuare.

Quib9 mortuis prosunt preces uiuorum. Nam preces uiuorum, omnimode perditam mortuorũ substantiam, restaurare non possunt: deformatum uero speciei decorem, integra permanente substantia, reformare possunt. Perditam autem substantiã mortuorum, perditos pro suis criminibus homines: deformatam uero speciem uocaui: imperfectos peccatis leuioribus homines. Dixi substantiam perditam non posse restitui, hoc est, damnatos homines, nullo uiuentium bono saluari. Dixi deformatum speciei decorem posse reformari, hoc est, reos non de criminalibus, sed de uenialibus peccatis mortuos, per uiuentium bona uelocius saluti posse restitui. Sciat ergo mortuos tunc

sibi

sibi uiuentium bona posse prodesse, si ex uita præterita meruerit particeps esse uitæ æternæ. Tunc enim quæcunq; illũ, ad eam adipiscendam adhuc impediunt, & orationibus, & pijs operibus uiuorum remoueri, per largam dei misericordiam poterunt. Quod si dum hinc exiuit, ad eos qui hæreditatem capiunt salutis pertinere non meruit: iam de uiuentium bonis sibi blandiri non poterit, qui dum uiueret, intra prædestinatorum numerum computari non studuit. Ne igitur male diffidat, uel insuper etiam peius confidat, dum uiuit & licet, hoc promereri laboret: ut si hinc imperfectus transierit, mereatur alienis operibus adiuuari, immo quod melius est, ea uiuus agere studeat: ut mortuus uiuentium bonis non egeat.

CONTRA ID QVOD DIcunt, deo non esse cantandum.

IAm uero ad illud quod addunt hæretici, irrideri scilicet deum canticis Ecclesiasticis, quia qui solis pijs affectibus delectatur, nec altis uocibus aduocari, nec musicis modulis potest mulceri. Ad tales (inquam) nænias respondere animus nauseat, quia quod nec brutis hominibus negantibus, sentire brutum & stolidum est: hoc uelle uelut ex ratione refellere, pene indissimiliter stultum est. Vnde quia sapientia præcipit, Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis, ex parte lingua taceat. Et quia rursus imperat, responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse uideatur, quæ reticenda non sunt, breuiter eloquatur. *Stulta opinio.* *Prouerb. 26.*

Sed nunquid o stultissimi hominũ, qui hæc dicitis, non erubescitis, q; ab exordio tã profusæ disputionis nostræ usq; *Increpatio stultitiæ.*

ad

ad instantem finem, quicquid ab ore uestro exiuit, & auto-
ritate uacuum, & omni apparuit ratione destitutum? Sic e-
nim in uanum uerba funditis, sic in uentos & nubila uerba
iactatis, ut more dementium, os ad uerba aperire tota sit uti
litas: ratio tota aërem percusisse. Nunquid o brutissimi: quã
do hoc cogitare cepistis, uel dicere inchoastis, nulla menti-
Psallere Domino uoce humana. bus uestris ex innumeris autoritas diuina occurrit? Cur sal-
tem Psalmi, qui ab omni clero Ecclesiæ dei, & maxime a
presbyteris (quod ipsi fuistis) frequentantur: quando hoc
cogitastis, dixistis, prædicastis, aliquando non occurrerunt?
Nonne in eisdem sæpe aut pene assidue legitis, & remota al
Psal. 95. tioris mysterij maiestate, etiam ad literam dictum aduerti-
tis, si sapitis, si sentitis, Cantate domino canticum nouum:
cantate domino omnis terra. Cantate domino & benedici-
te nomini eius, & iterum. Cantate domino canticum no-
Psal. 97. uum, quia mirabilia fecit. Et rursus. Omnes gentes plaudite
Psal. 46. manibus, iubilate deo in uoce exultationis: Et in eodem.
Psal. 32. Psallite deo nostro psallite, psallite regi nostro psallite, quoni
am rex omnis terræ deus, Psallite sapienter, & bene, psallite
ei in uociferatione, & mille talia? Hoc quidem de cantu uo-
cis humanæ.

Psallere Instrumentis Musicis. Quid de instrumentis uarijs & diuersa modulatione?
Quare quæ toti orbi notissima sunt, uobis solis occurrere
non potuerunt? Nam de instrumentis musicis & corporali
Psal. 97. bus ait in eisdem Psalmis uox diuina. Psallite domino in cy
thara, & uoce psalmi, in tubis ductilibus, & uoce tubæ cor-
Psal. ulti. neæ, Et iterum. Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in
psalterio & cythara. Laudate eum in tympono & choro:
laudate eum in cordis, & organo. Laudate eum in cymba-
lis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis, &
mille similia. Nunquid qui hæc dixit, qui scripsit, qui hæc
instrumenta

instrumenta præcipue composuit, qui sonuit, qui cantauit, dicendo, scribendo, sonando, cantando deum irridere uoluit

Nonne ipse primæ legis lator Moyses, tubas argenteas ad bellandum, ad quiescendum, ad castra leuanda, ponenda: ad insonandum coram arca domini, in deserto, in tabernaculo, in iubileo fieri mandauit? Nonne tam ipse quam sacerdos Aaron, nonne iam dictus Rex ac propheta Dauid: nonne Salomon, nonne Esdras, nonne multi sanctorum regum ac prophetarum musica instrumenta fecerunt, millia cantorum instituerunt, ipsimet ea sonuerunt, cantauerunt, saltauerunt? Nunquid autem hæc omnia ad irridendum, contemnendum, subsanandum deum fecerunt? Non (inquam) stulti, non ad ista, sed ad laudandum, adorandum, honorandum, glorificandum.

Tubæ argenteæ Nu. 10.

Quod si talium cantantium, psallentiū, organizantium, etiam apud homines manifestam utilitatem quæritis, audite quod (ut puto) nescitis, in sacra scriptura talibus modis dęmones effugari, morbos mitigari, deum aduocari, & per hæc eum consultis hominum respondere, & postulata præstare. Ait enim supranominata scriptura Regum. Igitur quandocunque spiritus dei malus arripiebat Saul, tollebat Dauid cytharam, & percutiebat manu sua: refocillabatur Saul, & læuius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.

Vtilitas Instrumentorum Musicę

1. Reg. 16.

Audistis Dauid cum cythara psallentem: audite coram Heliseo Psaltem canentem. Nunc (ait) Helisæus adducite mihi psaltem. Cunque caneret Psaltes, facta est super eum manus domini, & ait, Hæc dicit dominus. Facite per alueum torrentis huius fossas et fossas. Hæc enim dicit dn̄s. Non uidebitis uentum, neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis, & bibetis uos, & familiæ uestræ, & iumenta ue-

Psaltes coram Helisæo. 4 Reg. 3.

uestra. Parumq; hoc est in conspectu domini. Insuper tradet etiam Moab in manus uestras, & percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem electam, & uniuersum lignū fructiferum succidetis, cunctosq; fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus. Dū igitur coram Saul citharizabat Dauid, recedebat ab eo spiritus malus. Dum coram Helisæo canit psaltes, aduocatur spiritus sanctus. Ille enim tunc per Helisęum responsa dabat, qui per oēs prophetas loqui consueuerat. Cantu ergo musico fugatur spiritus malus, cantu musico aduocat̄ spiritussanctus.

Deo bene placitum est in uoce cantantium & psallentium. Et poterat quidem deus, absq; cantu huiusmodi, sonoque musici instrumenti, & morbo regis mederi, & dare responsa prophetæ. Sed quia uoces pie cantantiū, & sonos religiose organizantium benigne susciperet, & inter alia diuina obsequia, hæc quoq; deuote exhibita approbaret, tantorum prophetarū tam sublimibus exemplis uoluit indicare. Et huiusmodi cantuum religiosorum seruitutem, non solum in lege priori, sed etiam in sequenti Euangelio sibi placere monstraret, cantantibus in templo pueris, O sanna filio Dauid, & in

Math. 21. de Pharisæis indignantibus, eisq; dicentibus, audis quid isti dicunt? reprehendens æmulantium Pharisęorū indignationem, laudans puerorum cantantium deuotionem, etiam ex scriptura respondit. Nunquid non legistis, Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?

Psal. 8.

Peroratio ad Episcopos. Quia ergo ultimæ, et insulsæ hæreticorum obiectioni, & breuiter (ut æstimo) et plene responsum est, atq; (ut credo) totius præscripti erroris machina, inuicta dei uirtute subuersa est, ad uos, O sancti Episcopi, & sacerdotes domini, quibus hanc Epistolam scripsi, uerba conuerto, & ut tam hæreticis q̄ catholicis, pro quibus scripsi, studiose hoc notū faciatis exoro. Vere.n. uere zelus domus dei, et tantarū animarū

perditio,

perditio, me ad hęc scribenda impulit, ut sicut in exordio Epistolæ præmisi, more Ecclesiæ dei, quę semper hæreticas calumnias hoc maxime modo repressit, autoritas religiosis, ratio non deesset exigentibus curiosis.

Semina zizaniæ ab hęreticis relicta post se.

Quia uero post hæreticos, etiã terre uestrę catholicis scripturam hanc per uos manifestari rogaui, hæc causa est, quoniam nuper in partibus illis, & per dioceses uestras iter faciens, hæreticos quidem publicos, uobis maxime expellentibus, ad alia licet proxima sola demigrasse, sed tamen in eisdẽ uestris regionibus non parua semina reliquisse cognoui, quę si neglecta fuerint, in frugem inimicã exurgere, et sicut prius fecerunt, dominicam segetem zizaniorum more non parũ lædere poterunt. Est & illud, ꝙ hoc remedio oculti etiam bonorum catholicorum cogitatus (si potest fieri) purgandi sunt, qui & si hæreticis calumnijs non adquiescant, scandalizari tamen inauditis quæstionibus possunt.

Medela contra hæreticorum & dubitantium scandala.

Ne igitur aut ora hereticorum blasphemijs, aut corda catholicorum facile talibus scandalis pateant, ut et illa tali obice obturenť, & ista tali medela (si fieri potest) sanentur, scripturam hanc uelut paruum fidei meæ pro fide munusculũ, Iesu Christo domino meo obtuli, & per uos Ecclesiæ eius intimandam transmisi. Nec enim per aliquos rectius, iustiusue hoc fieri debere putaui, quam ut per dispensatores tritici, hoc est uerbi diuini, quod ipsi estis, hæc qualiscunq; sacri uerbi mensura, familiæ uobis a summo patrefamilias commissæ errogetur, & pro tempore singulis uel omnibus impertiatur. Decet enim Apostolicos uiros Apostolicam præ cæteris doctrinam tueri, ut qui cœlesti gratia dispensante, Apostolis officio successistis, fidem Apostolicam præcipuo studio defendatis. Nam ille idem Christus, qui per Apostolos dum uiuerent, peregrinanti Ecclesiæ suæ pro-

uidit uos ipsorum loco, ad ei prouidendum uestro tempore præparauit.

Episcoporũ officium.

Vnde quoniam non solum communi Charitate, quod ad omnes, sed etiam singulari officio, quod ad solos Episcopos pertinet, Ecclesia dei uobis commissa, si languet, curanda: si errat, reuocanda: si tepet, accendenda: si nutat, confirmanda: si cadit, releuanda: si dubitat, instruenda: si aliquid necessarium ignorat, a uobis edocenda est. Idcirco uos singulariter adhanc scripturam Ecclesiæ dei commendandam elegi: quos officio ad hoc constitutos, quos sapientia ad hoc idoneos, quos labore ad hoc excercitos esse cognoui, ut terram quam ab hæresi nequissima, spiritu dei, uestrisque sudoribus expurgastis, ne aduersus eam putridæ reliquiæ reuiuiscere queant, summo studio defendatis, Erit hoc apud benignum bonorum omnium remuneratorem, Episcopatus uestri insigne, cum aduersus oues boni pastoris uobis ab ipso commissas, luporum rabies, uestra instantia non potuerit præualere.

FINIS SECVNDAE PARTIS
Epistolæ D. Petri contra Hæreses
Heinricianorum, & Petrobrusianorum.

REVEREN-

REVERENDISSIMO IN Christo Patri ac Domino, Domino Hieronymo
Verallo, Archiepiscopo Rossanensi, Nuncio
Apostolico apud Cæs. Maiestatem, Do-
mino & Patrono suo Colendiss.
Ioan. Cochlæus.
S. P. D.

QVum misisset nuper ad me ex Vuormacia Reueren dus Pater, Ioannes Hofmeysterus, Ordinis S.Augu stini Prouincialis Colmariensis, uetustum hoc opus Venerabilis Petri Abbatis olim Cluniacensis, ut ædendum traderem Typographo, Visum est mihi operę precium fore, si adderentur ei quædam S.Bernardi (de cuius spiritu & ardore diuino Catholicorum nemo dubitat) scripta, In quibus eandem pertractat disputationem & materiam, quam iste Petrus, contemporaneus & amicus eius, in charitate Dei coniunctissimus, tam pie ac docte quam neruose ac copiose tractauit, Quibus & Magister Hugo de S. Victore, itidem Synchronus, & in fide Catholica syncerus Theologus laudabiliter concordat, Vt iuxta uerbum Domini, In ore Duorum aut Trium testium stet omne uerbum, Quoniam uero supradictus pater, Io. Hofmeysterus (qui hoc Imperialis Dietæ, Principumq; & statuum sacri Ro. Imperij Conuentus tempore, summa cum laude & approbatione Catholicorum, Vuormaciæ in Cathedrali Ecclesia, uerbum Dei, & Euangelium Christi, iuxta gratiam sibi excellenter datam, prædicauit) Reuerendissimæ Dominationi tuæ, & Integerrimis doctissimisq; uiris, pijssimisq; in sancta societate nominis Iesu Christi Fratribus, Magistro Nicolao Bobadillæ

Deut. 19. Math. 18.

Hiſpano, & Magiſtro Claudio Iaio Allobrogi, ac Magiſtro Petro Raniſio Sycambro: qui cum R.D.tua familiariſſime conuerſantur, ac Deo & proximo omni pietatis & Charitatis officio famulantur, perq; familiariter notus factus eſt, non dubito, ei q; gratiſſimum fore, q R.D.tuæ autoritas & præclarum nomen, a me accerſitur in patrociniū huius ſancti & antiqui ſanctorum uirorum opuſculi, quod ante CCCC. annos elucubratū eſſe dinoſcitur, Nouit enim iam pridem uniuerſa Germania, q pia, beneuola ac gratioſa ſit R.D.tua erga quoslibet ſyncerae pietatis, Catholicę q; religionis, & ſolidæ (non Poeticæ & uentoſæ) Theologiæ ſtudioſos & alumnos. Quum igitur hi duo Autores, Synchroni, Petrus, inquam, Cluniacenſis, & Bernardus Claræuallenſis, ſint & ſynceriſſimæ pietatis, et ſolidiſſimæ in ſacris literis eruditionis, & ſcientiæ: bene ſpero, hanc æditionem Opuſculi tam profunde ſuper columnam, & baſim ueritatis fundati ac ædificati, R.Dñi.T. ingratam non fore, Quare eam unice ſuppliciterque rogatam uolo, ut gratia et commendatione ſua Opuſculo huic patrocinium præſtare, proſperūq; ſucceſſum promouere dignetur, In Dei Opt. Max. laudem & gratiarum actionem, atq; in proximorum, maxime Germanorum, utilitatem & incolumitatem, Vt candidus lector bonum hoc, & certum ſpiritus ſancti donum, te autore atq; commendatore, tam pio & docto, auide hilari mente complectatur, eoq; fœliciter in ſuum aliorumq; profectum utatur. Bene uale, Ampliſſime Pater ac Domine, Ex Eyſtet ciuitate Quarto Nonas Auguſti,

M. D. XLV.

Sancti Bernardi &c.



SANCTI BERNARDI, MELLIFLVI DOCTORIS Sermones Tres ex ijs, quos LXXXVI. super Canticum Canticorum Salomonis, Aduersus Hæreticorum fraudes & fallacias diuina inspiratione habuit, ad fratres suos in Clara ualle.

DE TENTATIONIBVS Monachorum prouectorum, & de Hæreticis.



ADSVM promissioni meę, Capite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas, nam uinea nostra floruit, Vulpes tentationes sunt, Necesse est ut ueniant tentationes, Quis enim coronabitur: nisi qui legittime certauerit? Aut quomodo certabunt, si desit qui impugnet? Tu ergo accedens ad seruitutē Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem, certus, omnes qui pie uolunt uiuere in Christo persecutionem passuros, Porro tentationes diuersæ sunt, pro temporum diuersitate, Et initijs quidem nostris tanquam nouellarum teneris floribus plantationum in euidenti uis algoris incumbit: Cuius meminimus in sermone altero: & incipientes ab hac peste cautos reddidimus, Iam uero proficientium sanctioribus studijs minime quidem sese opponere contrariæ uirtutes aperte audent, sed solent ex occulto insidiari quasi quædam fraudulentæ uulpeculæ: spem quidem

Sermo lxiiij. Can. 2.

Eccle. 2.

2. Timo. 3.

Diuersæ tentationes Diaboli circa Monachos proficientes.

Prima, ut dimittant Monasticam uitam propter amicos.

quidē uirtutes, re autē uitia: Quantos (uerbi gratia) ingressos uias uitæ: progressos ad meliora: super semitas iustitiæ bene secureq; proficiscentes & proficientes, fraude (proh pudor) uulpium harum turpiter supplantatos expertus sum: & sero in se uirtutum suffocatos plangere fructus? Vidi ego hominem currentem bene, & ecce cogitatio. Quid in uulpecula fuit? Quantis (inquit) bonum quo solus fruor, si essem in patria, possem utiq; impartiri fratribus & cognatis, notis & amicis. Amant me & facile acquiescerent suadenti, ut quid perditio hęc? Vado illuc, ac saluo multos ex illis, et me pariter, Nec uerendum in loci mutatione: Etenim dum bene faciam, quid inter est ubi, nisi quod illic proculdubio satius, ubi fructuosius degam? Quid plura? It & perit miser, non tam exul ad patriam, quam canis reuersus ad uomitum: Et se perdidit infelix, & suorum acquisiuit neminem. En una uulpecula ista: Videlicet frustratoria spes, quam habuit in acquisitione suorum. Potes tu quoq; per teipsum in teipso alias atq; alias similes huic inuenire seu aduertere si non negligas. Vis tamen ut unam adhuc ego ostendam tibi? Facio etiā & tertiam & quartam quoq; demonstrabo: si te ad capiēdas eas, quas forte ex his in tua aduerteris uinea, inuenero uigilantem.

Secunda, ut abeant, ad prædicandū alijs uerbum Dei. Gal. 1. Prouer. 11. Math. 10.

Interdum bene proficientis cuiuspiam: cum sibi profusius aliquid supernæ gratiæ senserit irrorari, subit animum desiderium prædicandi, non quidem ad parentes & propinquos, iuxta illud, continuo non acquieui carni & sanguini, scilicet quasi purius fructuosius fortiusq; passim ad extraneos, & ad omnes, caute omino, sane timet propheticum incurrere maledictum, si quæ in abscondito accepit frumēta, abscondat in populis, & contra Euangelium facere: nisi quę in aure audiuit, prædicauerit super tecta. Vulpes est, at illo

priore

priore eo nociuior quo occultior ueniens. Sed capio tibi eam. Primus Moyses dicit: non arabis in primogenito bouis. Hoc Paulus interpretans: non neophitum (inquit) ne in superbiam elatus incidat in iudicium Diaboli. Et rursum: nec quisquam (inquit) sumit sibi honorem: sed qui uocatur a deo tanq; Aaron: Item ipse, Quomodo prędicabunt (ait) nisi mittantur? & scimus Monachi officium esse, nō docere, sed lugere. Ex his similibusq; collectis mihi texo rethe: & capio uulpem, ne demoliatur uineam. Ex his nempe claret, & certum est, q publice prædicare nec monacho conuenit, nec nouitio expedit: nec non misso licet, Porro contra hæc tria uenire quanta conscientiæ demolitio est? Ergo quicquid tale animo suggeratur, siue sit illud tua cogitatio: siue immissio per Angelum malum: Dolosam agnosce uulpeculam idest malum sub specie boni. Deut. 15. 1. Timo. 3. Heb. 5. Ro. 10.

Sed aspice aliam, Quantos ex Monasterijs spiritu feruētes heremi solitudo suscepit: & aut tepefactos euomuit: aut tenuit contra heremi legem non modo remissos, sed etiam dissolutos, sicque apparuit uulpeculam affuisse ubi tanta facta est uastatio uineæ, idest uitæ, & conscientiæ hominis detrimentum? Cogitabat si solus degeret multo se copiosiores fructus spiritus percepturum, quippe qui in comuni uita tantum spiritalis gratię fuisset expertus, & bona uisa est sua cogitatio sibi, sed rei exitus indicauit magis eandem illi cogitationem uulpem demolientem fuisse. Tertia tentatio, ut abeāt in heremum

Quid illud, quod nos quoq; totiens in domo ista tā grauiter inquietat, notabilem loquor quorundam, qui inter nos sunt, superstitiosamq; abstinentiam, ex qua se omnibus, sibiq; omnes molestos reddunt? Quomodo nō hæc ipsa discordia tam generalis, & suę illis conscientię dissipatio est, et quod in ipso est, Grandis uineæ huius quam plantauit dextera dñi Quarta tentatio circa superstitiosam & singularē abstinentiā.

 uestræ

Matth. 18. Gal. 5. Astutæ uulpes. uestræ scilicet omnium unanimitatis, Demolitio[?]ue hominis per quem scandalum uenit. Qui scandalizauerit (inquit) unum de his pusillis durũ est quod sequitur. Quanto duriora meretur qui tantã, & tam sanctam multitudinẽ scandalizat Iuditium prorsus durissimum portabit quicunq; est ille, sed hęc alias. Nunc uero intendamus his quę a sponso dicuntur super pusillis, et astutis his animalibus demoliẽtibus uineas. Pusillis dixerim, nõ malicia sed subtilitate, Astutum siquidẽ natura hoc genus est animantis, promptumq; admodũ ad nocendũ in occulto, et uideẽ mihi cõgruentissime designare subtilissima quędã uitia, specie palliata uirtutum qualiũ utiq; formam præmissis ad noticiam exemplis, paucis licet, iam aliquanti semper expressi. Nec. n. aliter nocere queunt nisi quod se uirtutes uirtutum quadã similitudine mentiuntur,

2. Cor. 11. Psalm. 10. Sunt aũt cogitationes hominum aut uanæ aut factæ imissiones per Angelos malos, Angelos sathane q se transfigurant in angelos lucis parantes sagittas suas in pharetra, hoc est in occulto, ut sagittent in obscuro rectos corde, unde et pusillas eas propter hoc reor dici, q cũ cetera uitia quadã quasi corpulentia sui manifesta se prebeant, hoc genus pro sui subtilitate haud facile agnosci, et ideo nec caueri possit, nisi duntaxat a perfectis, et exercitatis, & qui habeant illuminatos oculos cordis ad discretionem boni, & mali maximeque ad discretionem spirituũ, qui cum Apostolo possunt dicere, quia

2. Cor. 2. non ignoramus astucias sathanæ, neq; cogitationes eius.

Quid est capere uulpes. Et uide ne forte ab hoc a sponso iubeantur non quidẽ exterminari uel abigi uel occidi sed capi, q uidelicet huiusmodi spirituales dolosasq; bestiolas omni uigilantia et cautela obseruari oporteat, et examinari, & sic capi idest comprehendi in astutia sua, Ergo cum proditur dolus, cum fraus aperitur cum conuincitur falsitas, rectissime tunc dicitur, capta uulpis pusilla quę demoliebatur uineam, Deniq; dicimus homi

nem

nem in sermone capi sicut habes in Euangelio quia conue- nerunt pharisei in unũ ut caperet Iesum in sermone, Ita ergo sponsus capi iubet uulpes pusillas quæ demoliuntur uineas idest deprehendi conuinci, prodi, solum hoc malignitatis genus id proprium habet, ut agnitum iam minime noceat, ita ut agnosci sit illi expugnari. Quis enim nisi demens cõpertã decipula, sciens & prudens pedem mittit in illam? sufficit proinde si capiantur eiusmodo sunt, hoc est si prodas & deducas ad medium, quippe quibus apparere perire est, Non sic cetera uitia, Nempe manifeste ueniunt manifeste nocent, scientes captiuant, superant reluctantes, ut pote ui non dolo agentia, Ergo contra huiusmodi aperte seuientes bestias non inuestigatione opus est, sed refrenatione, solas has uulpes paruulas, dissimulatrices maximas (quia prodite iam non nocent) sufficit educi in lucem, et capi in calliditate sua. Nam foueas habent, Tali itaq; ex causa uulpes istæ, & capi iubentur, & paruule describuntur, uel id eo paruulæ, ut nascentia uitia in ipso ortu, donec utiq; paruulum sunt, uigilantur obseruans ilico comprehendas ne crescentia plus noceant, & difficilius capiantur, Et si iuxta allegoriam Ecclesias uineas, uulpes hæreses uel potius hereticos ipsos intelligamus, simplex est sensus, ut hæretici capiantur potius quam effugentur, capiantur dico non armis sed argumentis quibus refellantur errores eorum, ipsi uero si fieri potest reconcilientur catholicæ, reuocentur ad ueram fidem, Hæc est enim uoluntas eius qui uult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire.

Matth. 22.

Differt hæresis a cæteris uitijs.

Vulpes paruulæ.

Sensus Allegoricus.

1. Timo. 2.

Hoc deniq; uelle se phibet q nõ simplicit̃ capite uulpes sed capite (inq̃t) nobis uulpes paruulas, sibi ergo et sponsę suę id est catholice iubet acqri has uulpes cum ait, capite nobis eas Itaq; homo de Ecclesia exercitatus & doctus si cum here-

Capite nobis uulpes.

tico homine disputare aggreditur, illo intentionem suam dirigere debet, quatinus ita errantem conuincat, ut et conuertat, cogitans illud Apostoli Iacobi, quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluabit animam eius a morte, & opperit multitudinem peccatorum, Quod si reuerti noluerit, nec conuictus post primã iam, et secundam admonitionẽ (utpote qui omnino subuersus est) erit secundũ Apostolum deuitandus, Ex hoc iam melius (ut quidem ego arbitror) effugatur aut etiã religatur, ꝙ sinitur uineas demoliri. Nec propterea sane nihil se egisse putet, qui Hæreticũ uicit, & conuicit, hæreses cõfutauit, Verisimilia a uero clare aperteq; distinxit, praua Dogmata plana, & irrefragabili ratione praua esse monstrauit, Prauum deniq; intellectũ extollentem se aduersus scientiam Dei in captiuitatẽ redegit, Nẽpe cepit nilominus qui talia operatus est uulpem, & si nõ ad salutem illi, & cepit eam sponso, et sponsę quãuis aliter, Nã et si hęreticus non surrexit de fece, Ecclesia tamen cõfirmatur in fide, & quidem de profectibus sponsæ sponsus sine dubio gratulatur. Gaudiũ etenim domini est fortitudo nostra.

Iac. 5. Ad Tit. 3. Vtilis labor in confutandis hęreticis 2. Cor. 10.

Deniq; non putat a se aliena lucra nostra, q se nobis tã dignanter associat, dum iubet capi uulpes nõ sibi sed nobis secum, Capite inquiens nobis. Aduertere est enim quod ait nobis. Quid hac uoce socialius? an non tibi uidetur hoc dicere, quasi quidã Paterfamilias, qui per se nihil habeat sed oĩa cõmũia cũ uxore, et filijs atq; Domesticis? Et qui loquit̃ Deus est, minime tamẽ ut Deus id loquitur, sed ut sponsus, capite nobis uulpes, uides quam socialiter loquitur qui socium non habet, Poterat dicere mihi, sed maluit nobis, consortio delectatus. O suauitatem, O Gratiam, O Amoris uim, Itane summus omnium unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, Dignatione diues, affectu

Capite nobis. Amoris dei quanta uis.

potens,

potens:suasu efficax. Quid uiolentius? Triumphat de Deo Amor, Quod in tam non uiolentum? Amor est. Quæ est ista uis queso tam uiolenta ad uictoriam, tam uicta ad uiolentiam? Deniq; semetipsum exinaniuit, ut scias Amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est, Cũ quo nã tibi O admirande sponse tã familiare consortium? Nobis, inquis, capite, Qui tecum? An ecclesia de Gentibus? De mortalibus, de peccatoribus collecta est: Illam scimus quę sit: sed tu quis es: Aethiopissę huius tam deuotus tam ambitiosus amator? sane non alter Moyses: sed plusquam Moyses: Num tu ille es speciosus forma præ filijs hominum? parum dixi, candor es uitæ eternæ. Splendor & figura substanciæ Dei, postremo super omnia Deus benedictus in secula Amen.

Ecclesia de gentibus Aethiopissa dicitur.
Nu. 12.
Psal. 44.
Heb. 1.
Ro. 9.

DE DVPLICI GENERE HEreticorum scilicet manifestorum & occultorum. Et de Impietate quorundam qui, ne secretum prodatur, peierare permittunt, dicentes uiros posse mulieribus cohabitare sine detrimento continentiæ.

DVOS uobis super uno capitulo disputaui sermones, Tertium ædere paro, si audire non tedeat. Et necessarium reor: Nam quod ad nostram quidem spectat Domesticam uineam (quæ uos estis) satis me arbitror in duobus fecisse sermonibus pro munimento illi aduersus insidias tripartiti generis uulpium, qui sunt Adulatores, Detractores ac seductorij quidam spiritus, gnari & assueti mala sub spẽ boni inducere. Verum Dominicæ uineæ non ita. Illam lo-

Sermo lxv.
Triplices uulpes.
Vinea Dominica.

quor quæ impleuit terram, cuius & nos portio sumus: Vineam grandem nimis, Domini plantatam manum: redemptam sanguine: rigatam uerbo, propagatam gratia: fecundatam spiritu. Ergo plus proprij curam gerens: in comune minus profui. Mouet me autem pro ipsa multitudo demolientium eam: Defensantium paucitas, Difficultas defensionis. Difficultatem occultatio facit: Nam cū Ecclesia semper ab initio sui uulpes habuerit, cito omnes compertæ et captæ sunt. Confligebat Hæreticus palam. Nam inde Hæreticus, maxime q palam uincere cupiebat, & succumbebat. Ita ergo facile illæ capiebantur uulpes. Quid enim si posita in lucem ueritate, hæreticus in suæ pertinaciæ tenebris remanens solus foris religatus aresceret? Nilominus capta reputabatur uulpes condempnata impietate, & impio foras misso, ostentui utiq iam uicturo non fructuij. Ex hoc iuxta prophetam, erant illi ubera arentia, & uenter sterilis, quia non repullulat error publice confutatus, & falsitas aperta non germinat. Quid faciemus his malignissimis uulpibus ut capi queant, quæ nocere quam uincere malunt, & ne apparere quidem uolunt sed serpere? Omnibus una intentio hæreticis semper fuit, captare gloriam de singularitate scientiæ, Sola ista malignior cæteris, uersutiorq hæresibus, Damnis pascitur alienis propriæ gloriæ negligens. Docta credo exemplis ueterum, quæ proditæ euadere non ualebant, sed confestim capiebantur, cauta est nouo maleficij genere operari mysterium iniquitatis, eo licentius quo latentius, Denique indixere (ut dicitur) latebras sibi, firmauerunt sibi sermonem nequam. Iura, periura, secretum prodere noli.

Enimuero alias ne tenuiter quidem iurare ullatenus acquiescunt, propter illud de Euangelio, non iurare neq per cœlum

Aperte hęreticus facile uincitur.

Osee. 9.

Hæretici in occulto serpentes difficulter uincūtur.

2. Thess. 2.
Psal. 63.

Hęretici, qui dicunt nō iurandum esse, ipsi peierant.
Math. 5.

cœlum neq; per terram &c. O stulti, & tardi corde: repleti plane pharisaico spiritu, liquantes culicem, & camelum glutientes. Iurare non licet, & peierare licet, an in hoc solo utrumq; licet? De quonam mihi Euangeliorum loco producitis illam exceptionem, qui ne iota quidem (ut falso gloriamini) præteritis? patet uos & superstitiose obseruare, De Iuramento: & flagitiose præsumere de periurio, o peruersitatem: Quod ad cautelam consultum est, uidelicet non iurare: hoc isti mandati uice tam contenciose obseruant: & quod immobili iure sancitum est, non peierandum scilicet: hoc tanquam indifferens pro sua uoluntate dispensant. Non (inquiunt) sed ne mysterium publicemus, Quasi Gloria Dei non sit reuelare sermonem: An Dei inuident glorie? Sed magis credo, quod pandere erubescant: scientes in gloriam, Nam nefanda, & obscena dicuntur agere in secreto, siquidem & uulpium posteriora fetent, Sed taceo quę negarent, ad manifesta respondeant. An iuxta Euangelium cauent sanctum dare canibus, & Margaritas porcis? At istud aperte fateri est se non esse de Ecclesia: qui omnes qui de Ecclesia sunt canes censent, & porcos. Sine exceptione enim omnibus qui de sua secta non sunt, suum illud quicquid est subtrahendum existimant, Ceterum hoc, & si sentiant non respondebunt, ne manifesti fiant, nempe quod omni modo fugiunt, sed non aufugient.

Math. 23. | Reprræhensio eorum. | Nolunt hæretici sua mysteria reuelare. | Math. 7.

Responde mihi o homo qui plus quam oporteat sapis, et plus q̃ dici potest desipis. Dei est an non mysterium quod Occultas? si est cur non ad eius gloriam pandis? Nam gloria dei reuelare sermonem, si non, cur fidem habes in eo quod non est Dei, nisi quia hereticus es? Aut igitur Dei secretum ad Dei gloriam prodant, aut Dei negant mysterium,

Repræhensio mysterij eorum.

myſterium: & minime ſe hęreticos negent, aut certe nihilo minus manifeſtos ſe fateantur inimicos gloriæ Dei: qui nolunt manifeſtum fieri, quod ei norũt fore ad gloriam. Stat nempe ſcripture ueritas, Gloria Regum celare uerbũ: Gloria Dei reuelare ſermonem, Non uis tu reuelare? Non ergo uis Deum glorificare.

Prouerb. 25.

Contra Euangelium faciunt.
Math. 10.

Sed forte non recipis ſcripturam hanc. Ita eſt, ſolius Euãgelij ſe profitentᷓ æmulatores & ſolos. Reſpondeant proinde Euangelio, Quod dico (ait) in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis: prædicate ſuper tecta. Iam non licet ſilere uſq; quo occultum tenetur quod palam Deus fieri iubet? Vſq; quo opertum eſt Euangelium ueſtrum? ſuſpicor ueſtrum non eſt Pauli, Nam ille ſuum fatetur opertum nõ eſſe. Et ſi (inquit) opertum eſt Euangelium meum, in his opertum eſt qui pereunt, Videte ne uos diceret apud quos Euangelium inuenitur opertum, Quid apertius quod pereatis?

2. Cor. 4.

Quidã ex hĩs non recipiũt Paulum.

An forte nec Paulum recipitis? De quibuſdam ita audiui. Non enim inter uos omnes per omnia concordatis, & ſi a nobis omnes diſſentiatis, At uero eorum uerba & ſcripta, & traditiones quæ corporaliter cum ſaluatore fuerunt pari Autoritate Euangelij cuncti (ni fallor) indifferenter recipitis: Nunquid illi opertum tenuere Euangelium ſuum? Nunquid in Deo carnis infirma, mortis horrida crucis ignominiam tacuere? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum. Vbi Apoſtolica forma & uita quam iactatis? Illi clamant: Vos ſuſurratis. Illi in publico uos in Angulo. Illi ut nubes uolant: uos in tenebris ac ſubterraneis domibus deliteſcitis, Quid ſimile illis in uobis oſtenditis? An quod uobiſcum mulierculas non utiq; circum ducitis, ſed includitis, Non æque comitatio ut cohabitatio ſuſpitioni patet, Verũ quiſnam

Pſal. 18.
Falſo iactitant ſe de uita & forma Apoſtolica.
Eſa. 60.

quisnam de illis sinistrum quippiam suspicaretur, qui mortuos suscitabant. Fac tu similiter, & una recubantem putabo fœminam uirum, Alioquin temere tibi usurpas illorum dispensationem, quorum sanctitatem non habes. Cum fœminam semper esse: & non cognoscere fœminam: nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est non potes: & quod maius est uis credam tibi? Quottidie latus tuum ad latus iuuenculæ est in mensa: lectus tuus ad lectum eius in camera: Oculi tui ad illius oculos in colloquio: manus tuæ ad manus ipsius in opere: & continens uis putari? Esto ut sis, sed ego suspitione non careo, Scandalo mihi es: tolle scandali causam, quo te probes uerum ut iactitas Euangelij æmulatorem, Qui scandalizauerit unum de Ecclesia, nonne Euangelium condemnat illum: Tu Ecclesiam scandalizas, uulpes es demoliens uineam.

Suspecta illorum cohabitatio cum fœminabus.

Math. 18.

Iuuate me socij ut capiatur, uel potius capite uos nobis eam o angeli sancti, uersuta est ualde, operta est iniquitate, & impietate sua. Plane tam pusilla atque subtilis: ut facile quidem humanos frustretur obtutus, Nunquid & uestros? Propterea uox illa ad uos utpote sodales sponsi: capite nobis uulpes paruulas. Ergo facite quod iubemini: capite nobis hanc tam uersipellem uulpeculam, quam ecce iam diu frustra insequimur: Docete & suggerite qualiter fraus deprætendatur, Hoc enim est cepisse uulpem: quia longe plus nocet falsus catholicus, quam si uerus appareret hæreticus. Non est autem hominis scire quid sit in homine, nisi quis forte ad hoc ipsum fuerit uel illuminatus spiritu dei: uel angelica informatus industria.

Implorat angelos ad capiendã hanc uulpem.

Ioh. 2.
1. Cor. 2.

Quod signum dabitis ut palam fiat pessima hæresis hæc docta mentiri: non lingua tantum sed uita: Et quidem recens uastatio uineæ uulpem indicat affuisse: sed nescio

Hypocrisis docta mentiri.

qua arte fingendi ita sua confundit uestigia callidissimum animal, ut qua uel intret uel exeat haud facile queat ab homine depræhendi. Cumque pateat opus, non apparet actor, ita per ea quæ in facie sunt cuncta dissimulat. Denique si fidem interroges, nihil Christianius. Si conuersationem, nihil irrepræhensibilius, & quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in testimonium suæ fidei frequentare ecclesiam, honorare presbyteros, offerre munus suum, confessionem facere, Sacramentis communicare, Quid fidelius? Iam quod ad uitam moresque spectat, neminem concutit, neminem circumuenit, neminem supergreditur, pallent insuper ora ieiunijs, panem non comedit ociosus, operatur manibus quibus uitam sustentat, ubi iam uulpes? Tenebamus eam quomodo elapsa est e manibus? Quomodo tam repente disparuit? Instemus, inuestigemus, a fructibus eius cognoscemus eam.

Hypocrisis in externa conuersatione.

Et certe uinearum demolitio testatur uulpē. Mulieres relictis uiris, & item uiri dimissis uxoribus, ad istos se conferunt. Clerici & sacerdotes populis ecclesijsque relictis, intonsi & barbati apud eos, inde textores & textrices plærunque inuenti sunt. An non grauis demolitio ista? An non opera uulpium hec? uerum non apud omnes forte ista tam manifesta depræhenduntur, & si sint, non est unde probentur. Quonam modo capimus illos?

A fructibus cognoscitur hæc hæresis

Reuertamur ad consortium, & contubernium fœminarum, Hoc enim inter eos nemo qui careat. Interrogo unum quempiam horum, Heus tu bone uir, quænam hæc mulier, & unde hæc tibi? uxor ne tua? Non (inquit) nam uoto meo istud non conuenit, Filia ergo? non quid? Non soror, non neptis, non aliquo saltem propinquitatis uel affinitatis

Qualis eorū cum fœminabus cohabitatio.

tatis gradu attinens tibi? Nullo prorsus. Et quo tuta tibi cum ista continentia tua? Sane nec licet tibi istud, Cohabitationem (si nescis) uirorum & fœminarum in his qui uouere continentiam ecclesia uetat. Si non uis scandalizare ecclesiam, ejice fœminam. Alioquin ex hoc uno cetera quæ non adeo manifesta sunt proculdubio credibilia fiunt.

Sed quo mihi (inquit tu) euangelij loco monstras prohibitum istud? Euangelium appellasti, Ad Euangelium ibis. Si obedias Euangelio, non facies scandalum, prohibet enim plane Euangelium scandalum fieri. Facis autem tu, istam non amouendo iuxta constitutum Ecclesiæ, Suspectus eras, at nunc manifeste censebere & contemptor Euangelij, & ecclesiæ aduersator, Quid iudicatis fratres, si pertinax fuerit, ut nec obediat Euangelio, nec Ecclesiæ acquiescat, quid iam tergiuersari potest? Nonne aperte uobis uidetur deprahensa fraus, comprahensa uulpes? Si non amouet fœminam, non amouet scandalum. Si non amouet scandalum, cum amouere possit, transgressor tenetur Euangelij. Quid factura Ecclesia est, nisi ut amoueat illum, qui non uult amouere scandalum, ne sit similis illi inobediens, Nam hoc mandatum habet ex Euangelio, non parcere nec proprio oculo scandalizanti se, non manui, non pedi, sed eruere illum, abscidere ista, & proijcere a se, Si (inquit) ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.

Quomodo ex Euangelio conuincuntur.

Math. 18.

Fecimus ne aliquid? Puto quia fecimus, cepimus uulpē, quia fraudem percepimus, Manifesti sunt qui latebant falsi catholici, ueri deprædatores catholicæ. Etenim dum mecum dulces capiebas cibos, Corpus dico & sanguinem Christi, dum in domo dei ambulauimus cum consensu,

Hæretici eiecti ab Ecclesia minus nocent.

Psalm. 54.

fuit suadendi locus, immo oportunitas seducendi: iuxta
Prouer. 11. illud sapientiæ. Simulator ore decipit amicum suum,
Ad Titũ. 3. Nunc autem facile secundum sapientiam Pauli: post u-
Prouer. 11. nam & secundam admonitionem hæreticum hominem deuitabo, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, ac perinde cautus præuidere, ne iam sit & subuersor. Itaque nonnihil est (iuxta uerbum sapientis) insidijs suis captos esse iniquos, Illos præsertim iniquos: qui insidijs pro armis uti cauti sunt.

Nam conflictus omnino ab his, & defensio perijt: ui-
Vile genus hominum isti hæretici. le nempe hoc genus, & rusticanum, ac sine literis, & prorsus imbelle. Denique uulpes sunt & pusillæ: sed neque illa in quibus male sentire dicuntur, defensibilia sunt: nec tam subtilia quam suasibilia, idque duntaxat mulierculis rusticis, & Idiotis: & quales utique omnes sunt quotquot adhuc de secta hac esse expertus sum. Nec enim in cunctis assertionibus eorum (nam multæ sunt) nouum quid aut inauditum audisse me recolo: sed quod tritum est, & diu uentilatum inter antiquos hæreticos, a nostris autem contritum, & euentilatum, Dicendum ta-
Deprehensæ eorum ineptiæ. men & dicam quænam illæ ineptiæ sint. Partim quas sciscitantibus se catholicis minus caute respondentes, ipsi confessi sunt, partim quas diuisi ab inuicem litigantes de inuicem prodiderunt, Partim quoque quas nonnulli eorum redeuntes ad Ecclesiam detexerunt. Non quod ad omnes respondeam (nec enim necesse est) sed tantum ut innotescant. At istud alterius erit opus sermonis, in laudem, & gloriam nominis sponsi ecclesiæ Iesu Christi domini nostri, Qui est super omnia deus benedictus in sæcula Amen.

DE

DE ERRORIBUS QUORUNdam negantium nuptias: Et circa Baptismum paruulorum: purgatorium ignem, & orationes pro defunctis.

CApite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas. Ecce ego ad uulpes istas: Ipsę sunt quę pretergrediuntur uiam: & uindemiāt uineam. Non sunt contentæ deserere uiam: nisi & desertare uineam possint: addentes præuaricationem. Non sufficit hæreticos esse, nisi & Hypocritæ sint, ut sit supramodum peccans peccatum. Hi sunt qui ueniunt in uestimentis ouium: ad nudandas oues, & spoliandos arietes. An non tibi utraq; res impleta uidetur, ubi & fide plebes, & plebibus sacerdotes deprædati inueniuntur? Sermo lxvi. Psal. 79.

Quinam isti prædones? Hi oues sunt habitu, Astu uulpes, Astu & crudelitate lupi. Hi sunt qui boni uideri, non esse, mali non uideri, sed esse uolunt: Mali sunt, & boni uideri uolunt, ne soli sint mali: Mali uideri timent, ne parū sint mali, Etenim minus semper malitia palam nocuit, nec unq̄ bonus nisi boni simulatione deceptus est, Ita ergo in malū bonorum boni apparere student, mali nolunt ut plus liceat malignari. Neq; enim est apud eos uirtutes colere, sed uitia colorare quodam quasi uirtutum minio. Deniq; superstitionis impietatem nomine religionis intitulant. Innocentiam definiunt, tantum in aperto non lædere, innocentiæ perinde solum sibi uendicantes colorem. In operimentum turpitudinis continentiæ se insigniere uoto. Porro turpitudinem in solis existimant reputandā uxoribus, cum uel sola sit ea quæ cum uxore est causa, quæ turpitudinem excusat in coitu. Quales illi sunt hæretici: pessimi Hypocritæ.

Rusticani homines, sed ualde nociui.

Rusticani homines sunt, & idiotæ, & prorsus cõtemptibiles, sed non est (dico uobis) cum eis negligenter agendũ. Multum enim proficiũt ad impietatẽ: & sermo eorũ ut cãcer serpit. Deniq; non neglexit spiritus sanctus, q̃ de his quõdam tam manifeste uaticinatus est, dicente Aplo. Spiritus aũt manifeste dicit quia in nouissimis tẽporib. discedẽt quidã a fide: attendentes spiritib. erroris, & doctrinis Dæmoniorũ in Hypocrisi loquentiũ mendaciũ, & cauteriatã habentiũ suã conscientiã: prohibentiũ nubere, abstinere a cibis, quos Deus creauit ad percipiendũ cũ gratiarũ actione. Istos prorsus istos dicebat. Hi nubere prohibẽt: hi a cibis abstinẽt q̃s deus creauit, de quib. postea uidebimus. Nũc aũt uidete, si nõ proprie dæmonũ, & non hominũ ludificatio hęc: secũdum q̃d prædixerat spiritus. Quære ab illis suæ sectæ, Autorẽ, neminẽ dabunt. Quæ hæresis nõ ex hominib. habuit ꝓpriũ Hęresiarham? Manichæi, Manẽ habuere principẽ, & Præceptorẽ: Sabelliani sabelliũ: Arriani: Arriũ: Eunomiani Eunomium: Nestoriani Nestorium: Ita omnes cæteræ huiusmodi, pestes singulæ singulos magistros hoĩes habuisse noscuntur. A quib. originẽ simul duxere, & nomen. Quo nomine istos tituloue cẽsebis? Nullo: quoniã non est ab homine illorũ hæresis, neq; per hominẽ illam acceperũt. Absit tamẽ ut per reuelationem Iesu Christi, sed magis, & absq; dubio (uti spiritus sanctus prædixit) per immissionẽ, & fraudẽ dæmoniorũ, in Hypocrisi loquentiũ mẽdaciũ, ꝓhibẽtiũ nubere. In Hypocrisi plane hoc, et uulpina dolositate loquũtur, fingẽtes se amore id dicere castitatis: Quod magis causa turpitudinis fouendæ, & multiplicandæ adinuenerunt.

1. Timo. 4.

Hæresis hęc ab alijs differt: quia nõ est ab homine.

Prohibere nuptias est omnem immundiciam introducere.

Res tamẽ tam in aperto est, ut mirer quomodo unq̃; homini Christiano persuaderi potuerit: nisi quod hij adeo bestiales sunt, ut nõ aduertant, qualiter omni immundiciæ la-

xat

xat habenas qui nuptias damnat, aut certe ita pleni nequi-tia, & Diabolica malignitate absorpti, ut aduertentes dissimulent, & lætentur in perditione hominum. Tolle de Ecclesia honorabile conubium, et thorū immaculatum, nonne repleas eam concubinarijs, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorū concubitorib. et omni deniq; genere immūdorum. Elige ergo utrum libet, aut saluari uniuersa mōstra, hæc hominum, aut numerum saluandorū ad continentium redigi paucitatem, Quā parcus in uno, quam largus in altero, Neutrum horum conpetit saluatori. Quid? coronabitur turpitudo? Nihil minus decet honestatis auctorem. Damnabitur uniuersitas præter pauculos continentes? Non est hoc esse saluatorem. Rara in terris cōtinentia, neq; pro tantillo quæstu ad terras plenitudo illa semetipsam exinaniuit. Et quomodo de illa oēs accepimus, si solis indulsit cōtinētibus, participium sui? Non est quod ad hoc respondeāt. Sed neq; ad illud credo. Si honestati in celo est locus, non sit aūt honesto, & turpi consortium, sicut non est societas luci ad tenebras, profecto neminem immundorum locus in loco salutis manet. Si quis aliter sapit, arguet illum apostolica uox, absq; omni ambiguo asserens, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt. Qua iam exiet de cauerna hęc insidiosa uulpecula? puto in fouea depræhensam, in qua sibi duo quasi foramina fecerit, unum quo intret, alterum quo exeat. Nam consueuit ita. Vide ergo quomodo utrobiq; illi interclusus sit exitus, si solos in celestibus collocat continētes, perit ex maxima parte salus, Si omnē spurcitiam pariter cum continentibus collocat, perit honestum. Sed iustius perit ipsa, neq; hac exitura, neq; illac, reclusa perpetuo, & capta in fouea quam fecit.

Heb. 13.

Non soli cōtinentes saluantur.

Gal. 5.

Quidam tamen dissentientes ab alijs inter solos uirgines matrimonium

Falsa opinio de matrimonio.

matrimonium contrahi posse fatentur, uerum quid in hac distinctiõe rationis afferre possint, non uideo, nisi quod pro libitu quisq; suo sacramenta ecclesię tanq̃ matris uiscera dẽte uipereo certatim inter se dilacerare contendunt. Nam quod dicuntur prætendere de primis coniugibus, quia uirgines erant, Quid istud quæso matrimonij præiudicat libertati, quo minus & inter non uirgines contrahere liceat? sed nescio quid se in Euangelio inuenisse susurrant, quod suæ ineptiæ frustra existimant suffragari, Illud credo, quod dominus cum præmisisset testimonium de genesi, & creauit hominem deus ad imaginem, & similitudinem suam, masculum, & feminam creauit illos, postea intulit, Ergo quod deus coniunxit, homo non separet. Hos (inquiunt) coniuxit deus, quia uirgines ambo erant, et iam non licuit separari, non erit autem ex deo copulatio secus præsumpta.

Math. 19.

Reprælienſio & fraudis detectio.

Quis tibi dixit, propterea a Deo coniunctos, quia uirgines erant? Nam scriptura hoc non loquitur. An non uirgines erant, inquit? Erant, sed non est idipsum copulatos uirgines, & copulatos, quia uirgines. Quamq̃ neq; hoc quidem nominatim dictum reperies quod uirgines essent, quãuis essent, sexuũ sane expressa diuersitas est, non uirginitas, cum dictum est masculum, & fęminam creauit illos, Merito quidem, Non enim maritalis copula corporum requirit integritatem, sed sexuum aptitudinem. Bene proinde ipsam instituens spiritus sanctus, sexum expressit, & uirginitatem tacuit, nec dedit occasionem uenandi uerbũ insidiosis uulpeculis. Quod utiq; libenter fecissent, quamuis id quoq; frustra, Quid enim si dixisset uirgines creauit illos? Non propterea continuo obtinuisses solos uirgines licere coniungi? Et tamen quomodo exultasses ex sola uerbi occasione, quo modo exsufflasses secundas & tertias nuptias? quomodo in

sultasses

saltasses catholicæ scorta lenonesq; ad inuicem tanto libentius coniungenti quanto perinde eos de turpi ad honestum transire non dubitat? Fortassis et repræhenderes deum prophetæ præcipientem fornicariam ducere, nunc autem & occasio deest,& libet gratis hæreticum esse. Nam testimonium quod usurpasti ad astruendum errorem tuum, plus ad destruendum ualere inuentum est,pro te facere nihil,contra te plurimum. Osee. 1.

Nunc autem audi quod te ex toto aut confundit,aut corrigit,& hæresim tuam prorsus conterit,et comminuit. Mulier quanto tēpore uir eius uiuit,alligata est uiro. Si autē dormierit uir eius,soluta est a lege uiri,cui uult nubat, tantum in Domino. Paulus est qui concedit uiduæ,ut cui uult nubat, & tu e contra præcipis, nulla præter uirginem nubat, & hoc non nisi uirgini,ut nō cui uult nubat uel ipsa. Quid manum dei abbreuias? Quid largam benedictionem nuptiarum restringis? Quid proprium uendicas uirgini, quod indultum est sexui? Non concederet hoc Paulus nisi liceret. At parum dico concedit,uult quoq;,uolo (inquit) adolescentiores nubere,nec dubiū quin uiduas dicat, Quin manifestius. Ergo quod concedit quia licet,etiam uult quia expedit, Quod licet & expedit,hereticus prohibet. Nihil ex hac prohibitione persuadebit,nisi quod hæreticus est. Viduis nubere licet. 1. Cor. 7. 1. Timo. 5.

Super est ut & de residuo apostolicæ prophetiæ, istos aliquantulum exagitemus.

Abstinent namq; hi (ut prædixit ille) a cibis quos creauit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione, Hinc quoq; hæreticos se probantes,non sane quia abstinent, sed quia hæretice abstinent, Nam & ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Num redarguimus Paulum, q castigat corpus Timo. 4. Abstinentia duplex una pro peccatis alia superstitiosa. 1. Cor. 9. Ephe. 5.

pus suum & in seruitutem redigit? Abstineo a uino: quia in uino luxuria est: aut si infirmus sum, modico utor iuxta consilium Pauli. Abstineo a carnibus: ne dum nimis nutriunt carnem: simul & carnis nutriant uitia, panem ipsum cum mensura studebo sumere: ne onerato uentre stare ad orandum tædeat, & ne improperet etiam mihi propheta: Quia panem meum comederim in saturitate. Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam: ne distensio sane uentris usque ad titillationem pertingat libidinis. Hæreticus aliter. Nempe horret lac, & quicquid ex eo conficitur. Postremo omne quod ex coitu procreatur. Recte & Christiane: si non idcirco quia ex coitu: sed ne ad coitum prouocent.

Ezech. 16.

Ceterum quid sibi uult ita generaliter omne quod ex coitu generatur, uitatur? Suspitionem generat mihi obseruatio ista ciborum tam signanter expressa: Veruntamen si de Regula medicorum hęc profers nobis, non reprehendimus curam carnis, quam nemo unquam odio habuit, si tamen non nimia fuerit, si de disciplina abstinentium, idest spiritualiū medicorum scola, etiam uirtutem approbamus, qua carnē domas, frenas libidinem, At si de insania Manichæi præscribis benefitientiæ dei, ut quod ille creauit & donauit ad percipiendum cum gratiarum actione, tu non modo ingratus, sed & censor temerarius in mundum decernas, & tanquam a malo abstineas, non plane abstinentiam collaudabo, sed execrabor malitiam, & blasphæmiam, te magis immundum dixerim, qui immundum quid putas. Omnia munda mundis, ait ille rerum optimus æstimator, & nihil immundum, nisi ei qui immundum quid putat, Immundis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed polluta est & eorum mens & conscientia. Væ qui respuitis cibos, quos deus

Superstitio Manichæorum de carnibus.

Ad Titum 1.

Vere in mūdi hęreticis.

deus creauit, iudicantes immundos & indignos, quos traij-ciatis in corpora uestra, cum propterea uos corpus Christi quod est Ecclesia, tanquam pollutos et immundos expuerit. Nō ignoro quod se & solos corpus Christi esse glorientur, sed sibi hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quottidie in mensa sua corpus Christi, & sanguinem consecrandi, ad nutriendum se in corpus Christi, & membra. Nempe iactant se esse successores Apostolorum & Apostolicos nominant, nullum tamen Apostolatus sui signum ualentes ostendere. Quousque lucerna sub modio? uos estis lux mundi dictum est Apostolis, & ideo Apostoli super candelabrū ut toto luceāt mūdo. Pudeat successores Apostolorū lucem non esse mundi, sed modij, mūdi aūt tenebras. Dicamus eis, uos estis tenebræ mundi. Math. 5.

Et transeamus ad alia. Se dicunt Ecclesiam, sed contradicunt ei qui dicit. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Ita! ne lapidem de monte abscissum sine manibus, montem factum & impletum mundum uestris creditis inclusum antris? Et ne hic quidem immorandum. Ipsa opinio refugit publicari, suo contenta susurrio. Habet & semper habebit integram Christus hæreditatem suam, & possessionem suam terminos terræ, se potius subtrahunt huic magnæ hæreditati, qui Christo illam conantur detrahere. Vane iactitant se Ecclesiam. Dan. 2.

Videte detractores, uidete canes. Irrident nos quia baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis, quod sanctorū suffragia postulamus. In omni genere hominū, atque in utroque sexu festinant proscribere Christum, in adultis et paruulis, in uiuis & mortuis. Hinc quidem infantibus ex impossibilitate naturæ, inde uero adultis ex difficultate continentiæ praescribentes. Porro mortuos uiuentiū fraudātes auxilijs, uiuentes ni- De baptisandis Infantibus.

tes nihilomius sanctorum qui decesserunt suffragijs spolian tes. Absit. Non relinquet Dominus plebem suam, quæ est sicut Arena maris, nec contentus erit paucitate hæreticorũ qui omnes redemit, Neq; enim parua sed plane copiosa apud eum redẽptio. Quantus uero numerus istorum ad ma gnitudinem precij? Se magis precio fraudant qui ipsum euacuare conantur. Quid enim, si infans pro se loqui non potest, pro quo uox sanguinis fratris sui & talis fratris clamat ad deum de terra? Astat & clamat nihilominus mater Ecclesia, Quid tamen infans? Nonne & ipse uidetur tibi inhiare quodam modo de fontibus saluatoris, uociferari ad deum, suisq; uagitibus clamitare, Domine uim patior, responde pro me? Flagitat auxilium gratiæ, qui uim patitur ab origine. Clamat innocentia miseri, clamat ignorãtia paruuli, Clamat addicti infirmitas. Ita ergo clamant hec omnia sanguis fratris, fides matris, destitutio miseri, & miseria destituti, Et clamatur ad patrem, Porro pater seipsum negare non potest, pater est.

Psalm.129.

Rationes pro infantibus.

Esai.38.

Fides Ecclesiæ paruulis subuenit.

Esa.28.

Nemo mihi dicat, quia non habet fidem, cui mater impertit suam, inuoluens illi in sacramento quousq; idoneus fiat proprio nõ tantum sensu sed assensu euolutam puramq; percipere. Nunquid breue pallium, ut non possit ambos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Nunquid minor fide chananeæ mulieris, quam constat & filiæ sufficere potuisse & sibi? ideo audiuit, O Mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti. Nunquid minor fide illorum qui Paralyticum per tegulas demittentes, animæ illi simul & corporis obtinuere salutem? Deniq; habes. Quorum fidem ut uidit, ait paralytico. Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Et Paulopost, Tolle Grabatum tuum & ambula, Qui hæc credit, facile huic persuadebitur merito Ecclesiam præsumere non

Math.15.

Luc.5.

Math.6.

solum

solū paruulis baptizatis in sua fide salutem, sed etiā interfe-ctis pro Christo infantibus coronam martyrij.

Quæ cum ita sint, nullum præiuditium sustinebunt rege nerati de eo quod dictum est. Sine fide impossibile est place re Deo: cum sine fide non sint qui in testimonium fidei Ba-ptismi gratiam perceperunt, sed neq; de eo quod item dictū est: Qui uero non crediderit: condemnabitur: Quid enim credere est, nisi fidem habere? Itaq; & mulier saluabitur per generationem filiorum si permanserit in fide cum lenitate, & infantibus per lauacri generationem succuretur, Et adul ti qui continere non poterunt, coniugij tricesimo fructu se rediment. Viuentium quoq; preces, & hostias mortui qui opus habebunt, & digni erunt, mediantibus percipient An gelis, & eorum qui iam peruenerunt: uiuentibus adhuc ne-quaq; solatia deerunt per Deum qui ubiq; est, & in Deo nus quam affectu charitatis absentium, Nam & Christus pro-pter hoc mortuus est, & resurrexit, ut uiuorum dominare-tur, & mortuorum, propter hoc quoq;, & infans natus est, & per singulos ætatum gradus profecit in uirum, ut nulli deesset ætati.

Non sunt si ne fide infan tes.
Heb. 11.
Marci ult.
1. Timo. 2.
Mutua auxi lia inter ui-uos & mor-tuos.
Ro. 14.

Non credunt autem ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutā a corpore uel ad requiē transire, uel ad damnationem, Quærant ergo ab eo qui di-xit: Quoddam peccatum esse, quod neq; in hoc sæculo, neq; in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, si nulla manet in fu-turo remissio, purgatione peccati?

Male negāt ignem pur-gatorium.
Math. 12.

Iam uero qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum si ordinibus ecclesiæ detrahunt: si instituta non recipiunt: si sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt, pecca-tores (inquiunt) sunt Apostolici Archiepiscopi, episcopi, presbyteri, ac per hoc nec dandis nec accipiendis idonei

Male detra-hunt cleri or dinibus.

 sacramentis.

Caiphas: Ioh. 11.

sacramentis. Nunquam uero duo ista conuenient: Episcopum esse & peccatorem. Falsum est. Episcopus erat Cayphas, & tamen quantus peccator, qui in dominum mortis dictabat sententiam. Si negas Episcopum, arguet te testimonium Iohannis, qui eum in testimonium sui pontificatus etiam prophetasse refert. Apostolus erat Iudas, & licet auarus, & sceleratus, electus a Domino. An tu de illius apostulatu dubitas quem dominus elegit? Nonne ego (inquit) uos duodecim elegi, & unus ex uobis Diabolus est: Audis eundem electum Apostolum, & extitisse Diabolum, & negas posse esse Episcopum qui peccator est? Super Cathedram Moysi sederunt scribae & Pharisei, et qui non obedierunt eis tanquam Episcopis, inobedientiae rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum praecipientem, & dicentem, quae dicunt facite. Patet quamuis scribae, quamuis pharisei, quamuis uidelicet maximi peccatores, propter Chathedram tamen Moysi ad eos quoque nihilominus pertinere quod item dixit: Qui uos audit: me audit, & qui uos spernit, me spernit.

Iudas Scarioth. Ioh. 6.

Math. 23.

Luc. 10.

Superfluum est, omnes horum haereticorum errores reprobare.

Multa quidem, & alia huic populo stulto, & insipienti a spiritibus erroris in hypocrisi loquentibus mendacium male persuasa sunt, sed non est respondere ad omnia. Quis enim omnia nouit? Deinde labor infinitus esset, & minime necessarius, Nam quantum ad istos, nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt, nec autoritatibus corriguntur, quia non recipiunt, nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt: probatum est, mori magis eligunt quam conuerti, Horum finis interitus, horum nouissima incendium manet. Horum siquidem in facto Sampson ex succensis uulpium caudis figura praecessit.

Iud. 15.

Probatio per aquam exorcizatam.

Plerumque fideles iniectis manibus aliquos ex eis ad medium traxerunt. Quesiti fidem, cum de quibus suspecti uidebantur,

debantur, omnia prorsus suo more negarent, examinati iudicio aquæ, mendaces inuenti sunt, cumque iam negare non possent, quippe depræhensi: aqua eos non recipiente: arrepto (ut dicitur) freno dētibus tam misere quam libere impietatem non confessi, sed professi sunt, palam pietatem astruentes, & pro ea mortem subire parati. Nec minus parati inferre qui astabant, Itaque irruens in eos populus nouos hæreticis suę ipsorū perfidiæ martyres dedit, Approbamus zelum, sed factum non suademus, quia fides suadenda est, non imponēda, Quamque melius proculdubio gladio coherceretur, illius uidelicet qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorē multos traijcere permittantur, Dei enim minister ille est: uindex in iram, ei qui male agit.

Quidam ex hæreticis a populo interfecti.

Ro. 13.

Mirabantur aliqui, quod non modo patienter, sed & læti ut uidebatur ducerentur ad mortem, sed qui minus aduertūt, quanta sit potestas Diaboli, non modo in corpora hoīum, sed etiam in corda quæ semel permissus possederit. Nonne plus est sibimet hominem inijcere manus, quam id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse Diabolum frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserūt, aut suspenderunt. Denique Iudas suspendit seipsum, Diabolo sine dubio immittente, Ego tamen maius existimo, magisque admiror quod potuit immisisse in cor eius, ut traderet Dominum, quam ut seipsum suspenderet.

Potestas diaboli in hæreticos.

Nihil ergo simile habent constantia martyrum, & pertinatia horum, quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur, Et ideo Propheta martyris fortitan uoce dicebat, coagulatum est sicut lac cor eorum, ego uero legem tuam meditatus sum, pro eo uidelicet, quod si & pœna eadem uideretur, longa diuersa esset intentio, illo utique durante cor contra Dominum, isto in lege

Magna differētia int pœnas Martyrū & Hæreticorum.

Psal. 118.

Domini meditante. Quæ cum ita sint, non est opus (ut dixi) frustra multa aduersus homines stultissimos atq; obstinatissimos dicere: sufficit innotuisse illos ut uitentur. Quãobrem ut deprehendantur: cogendi sunt uel abicere fœminas, uel exire de Ecclesia, utpote scandalizantes Ecclesiã in conuictu, et contubernio fœminarum. Dolendum ualde, quod non solum laici principes, sed & quidam (ut dicitur) de clero, nec nõ de ordine Episcoporum qui magis eos persequi debuerant, propter quæstum sustineant, accipientes ab eis munera, Et quomodo (inquiunt) damnabimus nec conuictos nec confessos? Friuola satis non ratio, sed occasio.

Repræhẽsio eorũ qui hæreticos tolerant.

Hoc solo, etiam si aliud non esset, facile depræhendis, si (ut dixi) uiros, & fœminas, qui se continentes dicunt, ab inuicem separes, & fœminas quidem cum alijs, sui & sexus, et uoti degere cogas, uiros æque cum eiusdem propositi uiris, per hoc enim consultum erit utrorumq; uoto simul et famę, cum continẽtiæ suæ, & testes habuerint, & custodes, Quod si non sustinent, iustissime eliminabuntur de Ecclesia quam scandalizant, non solum notabili sed etiam illicita cohabitatione, Ergo ista sufficiant pro deprębendendis harum uulpium dolis, ad dandam scientiam, & cautelam dilectæ, & gloriosæ sponsæ Domini nostri Iesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Separandi a fœminis uiri qui uouerũt.

Sequuntur quædam S. Bernardi Epistolæ.

I. AD MAGISTRVM HVgonem de sancto uictore.

Hæc inter epistolas S. Bernardi ordine est lxxvij.

SI tibi uideor tardius rescripsisse, scito me tarde quoq; accepisse ad quod rescriberem, Nam quod miseras, non continuo ad me usq; perlatum est, sed Pontiniaci diu ante retentum.

retentum. Porro ubi accepi, moram minime feci in rescribendo. Cæterum id breuius quam tua forte deposcebat intentio, sed non plane quam mea occupatio sineret. Curaui tamen, ne te utcunque lateret, quicquid super interrogatis ego sentirem, tuo sane eadem mea sensa, & ocio & ingenio plenius astruenda relinquens, si ita oportere cognoueris, Nec dubito ad manum tibi esse rationes certas, & congruas auctoritates quibus facile id possis. Is ergo cuius me respondere assertionibus iubes, & nomen taces: tibi nouerit a me super consultis quod sentio dictum, non sibi contradictum, etiam si quid aliter ab ipso sapimus, Nam si uerum nos sapimus, ueritas ei contradicit, non nos, Sed enim si non confunditur acquiescere ueritati, & ueritas cum eo sapit, & nos, sin autem, seruum dei tamen non oportet litigare, sed magis patientem esse ad omnes. Ideoque non quærimus pugnas uerborum, nouitates quoque uocum iuxta Apostolicam doctrinam euitamus. Patrum tantum opponimus sententias ac uerba proferimus, & non nostra: Nec enim sapientiores sumus quam patres nostri. Abundet sane in suo sensu qui uult quantum uult, dummodo nos patiatur in scripturarum sensibus abundare, quomodo dicit Apostolus. Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est, Et infra post multa.

Protestatio de non litigando. 2. Timo. 2.

2. Cor. 3.

Sane paruulis & nec dum ratione utentibus: quia sola nocere creditur peccati contagio: non etiam mandati præuaricatio: tandiu credendum est antiqua ualuisse Sacramenta, quandiu palam interdicta non fuisse constiterit. An uero ultra, penes deum est non meum diffinire.

Quęstio de adulto non baptizato.

Porro in maiori ætate quisquis post uulgatum ubique baptismi

ptismi remedium renuit iam baptizari generali originaliq maculæ addit, & ex proprio crimen superbię, duplicem secū portans iustissimę damnationis causam, si sic de corpore exire contigerit, Tamen si ante exitum resipuerit, & uoluerit, et petierit baptizari, sed mortis pręoccupatus articulo, forte obtinere nequiuerit, dum non desit fides recta, spes pia, Charitas sincera, propitius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec uacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem, tantum si aquam non contemptus sed sola (ut dixi) prohibeat impossibilitas.

★ uideat

Si quis aliter sapit ★ uidetur unde sibi quod asserit persuaserit: nam me non facile fateor assentire, si non firmior induxerit, uel ratio ad intelligendum, uel ad credendum autoritas. Sed miror admodum si nouus iste nouarum inuentor assertionum, & assertor inuentionum, inuenire in hoc rationem potuerit quæ sanctos patres latuerit. Ambrosium & Augustinum, siue autoritatem eorundem autoritate potiorem.

Assertor nouarum inuētionum.

Nam si nescit, uterque idem profecto sensit quod fatemur sentire, & nos. Librum certe Ambrosij de morte Valentiniani legat, si non legit, recolat si iam legit, non dissimulet si recolit, & aduertet sine dubio sanctum, homini non baptizato, & mortuo fidenter de sola fide salutem præsumere, & tribuere indubitanter bonæ uoluntati quod defuit facultati. Legat & Augustini contra Donatistas de unico Baptismo librum quartum, & se uel agnoscat imprudenter deceptum, uel probet inpudenter obstinatum. Baptismi inquit uicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptisato dictum est, Hodie mecum eris in paradiso.

Ambro. de obitu ualentiniani Imp.

Aug. de unico baptismo lib. 4. c. 22.

Luc. 23.

Beatus

Beatus Cyprianus non leue documentum assumit. Et addidit. Quod etiam atque etiam considerans, inuenio (inquit) non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismate deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi, in angustijs temporum succurri non potest. Et infra. Quantum itaque ait ualeat etiam sine uisibili sacramento Baptismi, quod, ait, Apostolus. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est. Sed tunc (inquit) impletur inuisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Cyprianus. Potest homo saluari fide absque baptismo aliquando. Ro.10.

Et quidem non ignoro retractare ipsum id quod posuerat testimonium de latrone, minusque idoneum ad comprobandam illam sententiam confiteri, eo quod sane incertum sit utrum nam fuerit baptizatus, ceterum sententiam & audacter prosequitur & multipliciter confirmat, nec uspiam (nisi fallor) retractasse reperies. Aug. in retract. lib. 2. c. 15.

Item in alio loco Augustinus cum aliquos præmisisset quos scriptura commemorat, inuisibiliter quidem non tamen etiam uisibiliter sanctificatos tandem infert. Ex his colligit aut inuisibilem sanctificationem quibusdam affuisse & profuisse sine uisibilibus Sacramentis, quæ pro temporum diuersitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint & alia modo sint. Et paulopost. Nec tamen (inquit) uisibile Sacramentum omnino contemnendum, nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari non potest. Vbi satis euidenter ostendit fidelem, & conuersum ad Dominum, non si nequiuerit, sed si contempserit baptizari: fructu priuari baptismatis. Aug. Quæst. lib. 5. c. 54.

Ab his ergo duabus colūnis (Augustinū loquor et Ambrosium) Duę columnę. Ambro. & Aug.

brosium) crede mihi difficile auellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor: Credens & ipse sola fide hominem posse saluari cum desiderio percipiendi Sacramentum: si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque uis inuincibilis obuiarit.

Verba Christi Mar. 16.

Vide etiam ne forte ob hoc saluator cum diceret. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: caute & uigilanter non repetierit, qui uero baptizatus non fuerit, sed tantum: qui uero, inquit, non crediderit, condemnabitur. Nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.

Martyrium per fidē pro baptismate reputatur.

Quapropter & si martyrium uicem baptismi posse implere conceditur, non plane hoc facit pœna sed ipsa fides. Nam absque ipsa quid est martyrium nisi pœna? Quæ ergo martyrio prestat ut absque ulla dubietate pro baptismate reputetur: ipsa ita infirma & imbecillis per se erit, ut quod dare alteri ualet, sola non ualet obtinere? Et prorsus sanguinis pro Christo effusio magnę cuiusdam fidei indubitata probatio, non deo tamen, sed hominibus.

Quomodo sola fides saluare potest.

Sed quid si deus (qui profecto ad probandum quod uult nullis indiget experimentis) æque magnam in corde cuiuspiam in pace morientis inspicit fidem: martyrio quidem non interrogatam, martyrio tamen idoneam: Si recordatus fuerit homo nec dum se salutis percepisse mysterium, & dolens, penitensque toto desiderio expetierit: sed asseTqui mortis celeritate præoccupatus nequiuerit, Damnabit fidelem suum Deus, damnabit inquam hominem pro se etiam paratum mori? Paulus dicit. Nemo potest dicere, Dominus Iesus nisi in spiritu sancto, Hunc ergo qui in articulo mortis non solum inuocat Dominum Iesum: sed ipsius quoque toto desiderio expetit Sacramentum: Dicemus

1. Cor. 12.

aut

aut non loqui in spiritu sancto, & falsus erit Apostolus: aut & cum spiritu sancto damnari? Saluatorem habet habitantem per fidem in corde, & in ore per confessionem, & cum saluatore damnabitur? Pro certo cum non aliunde martyrium nisi ex fidei merito illam obtinuerit praerogatiuam: ut singulariter uice Baptismi secure suscipiatur: non uideo cur non ipsa aeque, & sine martyrio apud eum tantundem possit: cui & sine martyrij probamēto proculdubio innotescit, possit sane tantundem dixerim quantum ad salutis spectat obtentum: non autem ad meriti cumulum, quo indubitanter martyrium antecellit.

Legimus, omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et item. Qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam: iam moechatus est in corde suo. Quid planius quod uolūtas pro facto reputetur, ubi factū excludit necessitas? Nisi forte putetur in malo quam in bono efficacior inueniri uoluntas apud Deum qui charitas est, & promptior esse ad ulciscendum quam ad remunerandum misericors, & miserator Dominus.

Volūtas aliquando pro facto habetur.
1. Ioh. 3.
Math. 5.

Quomodo is qui alieno debito se teneri forte in extremis positus recolit: si desit unde persoluat: sola nihilominus poenitentia, & cordis contritione obtinere ueniam creditur: ne iam pro eo damnetur: sic sola fides, & mentis ad Deum cōuersio sine effusione sanguinis, & sine perfusione aquae salutem sine dubio operatur uolenti: sed non ualenti, prohibente articulo, baptizari. Et sicut nulla illi poenitentia remittitur peccatum: si cum possit, non restituit ablatum, Sic & huic nulla proderit fides: si cum possit non percipit Sacramentum.

Similitudo de debitore.

Quamquam & fidem conuincitur non habere perfectā si negligit. Vera enim, & plena fides uniuersa praecepta complectitur. Est aūt hoc unum ipsumque praecipuū ex preceptis. Merito

Qui negligit baptizari, non habet perfectam fidem.

Merito ergo non fidelis, sed plane rebellis: atq; contemptor reputabit quisquis obedire renuerit, Quomodo deniq; fidelis qui Dei contemnit sacramentum?

Infantes saluantur per fidem alienã.

Sane infantes quia hanc, prohibente etate, non possunt habere fidem, hoc est cordis ad Deum conuersionem, consequenter nec salutem, si absq; Baptismi perceptione moriuntur. Non quod uel ipsi quando baptisantur fide omnino careant, sine qua impossibile est, uel ipsos placere Deo, sed saluantur & ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam, Dignum nempe est, & ad Dei spectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam. Nec enim omnipotentis iustitia propriam putat ab his exigendam fidem, quos nouit propriam nullam habere culpam, porro aliena opus est fide, cum sine sorde non nascantur aliena, quatinus nec a paruulis alienum sit, quod non omnibus generaliter dicitur, fide mundans corda eorum, Nec dubium quod macula contracta ab alijs, aliorum quoq; fide ualeat uel debeat emundari, Hæc sunt quippe iuditia diuinæ iusticiæ, in quibus exultans sanctus Dauid, memor fui (inquit) iuditiorum tuorum a sæculo domine, & cõsolatus sum, Hucusq; de his. Reliqua huius prolixæ epistolæ, hic breuitatis gratia omittuntur.

Act. 15.

Psal. 116.

II. AD PETRVM ABbatem Cluniacensem.

Epistola Bernardi ordine cxlvij.

DOmino & Patri Reuerendissimo, Petro Cluniacensi Abbati: Suus Bernhardus, quod suus. Visitet te oriens ex alto o bone uir, quia uisitasti me in terra aliena, & in loco peregrinationis meæ consolatus es me. Bene fecisti,

tisti, intelligens super egenum, & pauperem: Absens eram, & absens etiam longo tempore, & recordatus es nominis mei: Homo magnus, & occupatus in magnis. Benedictus sanctus Angelus, qui pio pectori tuo id suggessit. Benedictus Deus noster qui persuasit. En teneo unde glorier apud extraneos, litteras tuas, & illas litteras, in quibus tuam mihi animam effudisti. Glorior quod me habeas non modo in memoria, sed etiam in gratia, Glorior priuilegio amoris tui, refectus sum de abundantia suauitatis pectoris tui, Non solum autem, sed & glorior in tribulationibus, si quas dignus habitus sum pro Ecclesia pati. Petrus Abbas, homo magnus

Hæc plane gloria mea, & exaltans caput meum: Ecclesiæ triumphus. Nam si socij fuimus laboris: erimus & consolationis. Collaborandum fuit, & compatiendum matri, ne & de nobis quereretur, dicens. Qui iuxta me erant de longe steterunt, & uim faciebant, qui quærebant animam meam. Deo autem gratias qui dedit ei uictoriam, honestauit eam in laboribus, & compleuit labores illius. Tristitia nostra in gaudium, & luctus noster uersus in cytharam est, Hyems transijt, Imber abijt & recessit, Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit. Socij laborũ pro Ecclesia contra hæreticos. Psal. 37. Can. 2.

Amputatum est sarmentum inutile, putre membrum, Ille ille iniquus qui peccare fecit Israel, morte absorptus est, & traductus in uentrem inferi. Fecerat quidem secundum prophetam pactum cum morte: Et cum inferno fœdus inierat. Ideoq; iuxta Ezechielem: factus est perditio, & non subsistit in æternum, Alius quoq; omnium sicut maximus, ita & pessimus inimicus: abscisus nihilo minus est. Hæreticus putre membrum. Esa. 28.

Et

Falſi Eccleſiæ amici, hæretici.

Et is erat unus ex amicis Eccleſiæ: ſed illis de quibus ſolet queri & dici. Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt. Si qui reſtant: cito ſperamus de ſimilibus idem iudicium. Prope eſt ut reuertar ad fratres meos, ſi uita comes fuerit, per uos, ſicut intendo, trãſiturus, Interim commendo me ſanctis orationibus ueſtris. Salutamus fratrem, H. Camerarium, & omnes, qui circa uos ſunt, cum reliqua ſancta multitudine.

III. AD EVNDEM.

Epiſtola Bern. cxlviij

Deſyderium colloquendi.

DOmino Petro Abbati Cluniacẽſi. B. humile dilectionis obſequium, Lectis litteris ueſtris lætatus ſum in eis, quod tantillum uidelicet tantus in benedictionibus dulcedinis præuenire curaſtis. Ceterum uidendi nos inuicem, & colloquendi pariter, quoniam dignum iudicatis, quando ſe offeret illa oportunitas, quando conueniens locus, quãdo iuſta occaſio? Hæc interim paucis ueſtris pauca reddidimus, ampliora libenter donaturi, cum ea uobis oneroſa non fore cognouerimus. Alioquin quando hoc ipſum auderet noſtra puſillitas, niſi daret ad dignitatem ueſtram acceſſum ueſtræ dignationis humilitas.

IIII. AD EVNDEM.

Epiſtola Ber. cxlviiij.

Conſilium fidele.

QVam nollim fieri quod ueſtræ putem obuiare Reuerentiæ, credo ſinceritatem ueſtram non latere. Ea fiducia ſuggerere uobis non dubito, quod ſuggerendum uidetur, De Monaſterio ſancti Bertini uellẽ uos moderatius agere, quam cœpiſtis. Nam & ſi hoc uobis in pace ſubijcere, & abſq; omni contradictione poſſetis, ne tunc quid ueſtra

stra referret uideo, Neque enim crediderim uos delectari honore, cum tanto onere, Nunc uero cum nec absque magno labore uendicare uobis præfatum monasterium, nec in pace, ut aiunt, queatis possidere: honesta uobis (ut mihi uidetur) prębetur quiescendi occasio, timor inquietandi.

V. AD PETRUM CLUniacensem Abbatem, conquerentem quod ei non scriberet.

ITa ne iocari libet? Dignanter sane atque amicabiliter: sed si ita luditis, ut non illudatis. Nolite mirari hoc. Nam suspectum id mihi facit uestra ipsa tam subita, & inopinata dignatio. Non enim multum temporis est, quod scribens ad uos. Debita reuerentia, uestram magnitudinem salutaui: & non respondistis mihi uerbum, Nec multo ante rursum scripseram ad uos ex urbe Roma: & nec tunc quidem uel unum Iota recepi. Modo miramini quod reuertenti nuper de Hispania: nugas meas denuo ingerere non præsumpsi. Quod si culpa est quacunque ex causa non scripsisse: sine culpa profecto non erit noluisse, ne dicam contempsisse rescribere. Epistola Ber. ccxxviij Excusatio, retorquens culpam in incusantem.

En in quo pro me faceret iustitia (quia id a me flagitat) nisi mallem occurrere gratiæ redeunti, quam retardare eam mihi, dum uel me mutiliter excusare uolo, uel alium accusare. Sed hoc dixi, nequid clausum in mente retinerem, quod ore non promerem: quod id uera recuset amicitia. De certo quia charitas omnia credit: iam omnis suspitio de medio fiat. Excusationis lenimen

Gaudeo quod recaluistis priscæ amicitiæ recordari, & 1. Cor. 13. Reconciliatio.

i uel

uel læsum reuocare amicum libenter redeo reuocatus. Fœlix qui reuocor. Nullarum iam memor sum iniuriarum. En ego qui fueram, uestræ profecto sanctitatis seruus & nunc & ante, Gratias ago, optime locatus sum, intimus uobis denuo factus, sicut dignamini scribere. Si forte intepueram ut arguitis, haud dubium, quin uelociter recalescam, fotus uestræ charitatis uisceribus.

Laus Petri de iucunda simul & graui epistola.

Et nunc quod placuit scribere obuijs manibus suscepi. Legi auide, libenter relego, & placet sæpius repetitum. Placet, fateor, Iocus. Est enim & iucunditate gratus, & serius grauitate. Nescio siquidem quomodo inter iocandum ita disponitis sermones uestros in iuditio: ut & iocus leuitatem non redoleat, & autoritas conseruata hilaritatis non minuat gratiam. Porro autoritas ita seruatur, ut illud sancti uiri merito uobis possit aptari. Si quando ridebam non credebant mihi. Eia rescripsimus, & puto iam iure exigimus ampliora quæ promisistis. Dignum est ut sciatis quæ penes nos sunt, Decretum est mihi, ultra non egredi monasterio: nisi ad conuentum Abbatum apud Cistertium semel in anno. Hic fultus orationibus uestris, & benedictionibus consolatus, paucis diebus quibus nunc milito, expecto donec ueniat immutatio mea. Propitius sit mihi Deus, ut non amoueat orationem uestram, & misericordiam suam a me. Fractus sum uiribus & legitimam habeo excusationem, ut iam non possim discurrere ut solebam. Sedebo & silebo: si forte experiar quod de plenitudine intimæ suauitatis sanctus Propheta eructuat: Bonum est inquiens expectare Dominum in silentio. Et ne solus uideamini mihi lusisse: puto iam non audebitis me de hoc silentio meo repræhendere: & more uestro appellare soporem

Iob. 29.

Intentio Bern. ad remanendum domi de cætero.

Iob. 14.

Thren. 3.

porem: quod ut puto congruentius ac magis proprie sanctus Esaias cultum iustitiæ nominat: & de quo legi-tis in hoc ipso Propheta dicente Domino. In silentio & spe erit fortitudo uestra. Comendate me orationibus sancti conuentus cluniacensis, salutato prius ex me seruo omnium si dignum iudicatis. Esa. 32. Idem 30.

VI. AD HILDEFONSVM comitem sancti Aegidij, de Henrico hæretico.

QVanta audiuimus & cognouimus mala quæ in Ecclesijs dei fecit, & facit quottidie Henricus Hæreticus. Versatur in terra uestra, sub uestimentis ouium, lupus rapax, sed ad domini designationem, a fructibus eius cognoscimus illum. Epistola Bern. ccxl.

Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia sunt, & sine Christo deinde Christiani. Ecclesiæ sinagogæ reputantur, sanctuarium dei sanctum esse negatur, Sacramenta non sacra censentur, Dies festi festiuis frustrantur solennijs, Moriuntur homines in peccatis suis, Rapiuntur animæ passim ad Tribunal terrificum, heu nec pænitentia reconciliati, nec sacra communione muniti. Paruulis Christianorum Christi intercluditur uita, dum Baptismi uegatur gratia, nec saluti propinquare sinuntur, saluatore licet pie clamante pro eis. Sinite, inquit, paruulos uenire ad me: Ergo ne qui homines & iumenta saluauit, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam deus, ad solos tamē innocentes Henricus iste Lutheri præcursor fuit in malis Pro Paruulis contra Anabaptistas. Matth. 19. Psalm. 35.

non patitur eandem tam multam misericordiam perue- nire? Quid quæso, quid inuidet paruulis saluatorem paruulum qui natus est in eis? Inuidia hæc diabolica est, inuidia hac mors intrauit in orbem terrarum. An putat paruulos saluatore non egere: quia paruuli sunt? Si ita est: ergo gratis magnus Dominus factus est par- uus. Vt omittam quod flagellatus est, quod sputis illitus, quod cruci affixus, quod denique mortuus est.

Sap. 2.

Non est hic homo a deo: qui sic contraria deo & fa- cit & loquitur. Proh dolor, auditur tamen a pluribus, & populum qui sibi credat, habet. O infœlicissimum po- pulum. Ad uocem unius hæretici siluerunt in eo om- nes propheticæ, & Apostolicæ uoces, quæ de conuocan- da in una Christi fide e cunctis nationibus ecclesia, uno ueritatis spiritu cecinerunt. Ergo fefellerunt diuina ora- cula, falluntur omnium oculi & animi, qui quod le- gunt prædictum, intuentur impletum? Quam certe ma- nifestam omnibus ueritatem solus ille stupenda, & pror- sus Iudaica cæcitate, aut non uidens, aut inuidens adim- pletam, simul nescio qua arte diabolica persuasit popu- lo stulto, & insipienti, de re manifesta nec suis credere oculis, fefellisse priores, errare posteros, totum mundum etiam post effusum Christi sanguinem perditum iri, & ad solos quos decipit, tota miserationum dei diuitias, & uni- uersitatis gratiam peruenisse.

Infœlix populus qui audit hæreticū

Hæc in Lutheranos quoque cōpetunt.

Et nunc huius rei gratia licet in multa corporis in- firmitate iter arripui ad has partes, quas potissimum sin- gularis ferus depascitur, dum non est qui resistat, neque qui saluum faciat. Quippe de tota Francia pro simili ef- fugatus malicia, has solas sibi inuenit expositas, in quibus fiducialiter sub tuo dominatu in gregem Christi toto furore

Repræhensio comitis, fouentis hæreticum in dominio suo

furore bachatur. Quod tuo ne honori congruat, Princeps illustris, ipse iudicato, Nec mirum tamen si serpens ille callidus decepit te, quippe speciem pietatis habens: Cuius uirtutem penitus abnegauit.

Sed nunc audi quis ille sit. Homo Apostata est: qui relicto religionis habitu (nam monachus extitit) ad spurcitias carnis & sæculi: tanquam canis ad suum uomitum est reuersus, Præ confusione autem habitare inter cognatos, & notos non sustinens, uel potius non permissus, ob magnitudinem criminis, succinxit lumbos suos, & iter qua nesciebat arripuit, factus Gyrouagus, & profugus super terram. Cumque mendicare cepisset, posuit in sumptu Euangelium: nam litteratus erat. Et uenale distrahens uerbum Dei: Euangelizabat ut manducaret, Si quid supra uictum elicere poterat a simplicioribus populi, uel ab aliqua matronarum: id ludendo aleis, aut certe in usus turpiores turpiter effundebat. Frequenter siquidem post diurnum populi plausum, nocte insecuta cum meretricibus inuentus est prædicator insignis, & interdum etiam cum coniugatis. Inquire si placet, uir nobilis, quomodo de lausana ciuitate exierit, quomodo de Cenomannis, quomodo de Pictaui, quomodo de Burdegali: nec patet ei uspiam reuersionis aditus, utpote qui fœda post se ubique reliquerit uestigia, Tu de tali arbore tandem bonos sperabas fructus? Terræ profecto in qua est, fecit fetere odorem in uniuersa terra: quia non potest iuxta sermonem domini, Arbor mala, fructus bonos facere: Hæc ergo (ut dixi) causa aduentus mei. Nec a meipso nunc uenio: sed uocatione pariter, & miseratione ecclesiæ trahor: si forte spina illa, & parua ipsius, dum adhuc parua sunt, germina de agro Dominico extirpari queant, non mea, qui nullus sum: sed sanctorum, cum quibus sum, Episcoporũ manu, tua quoque

Henricus ex Monacho Apostata.
2. Pet. 2.

Gyrouagus.
Qualis eius prædicatio & uita.

Profugus, nusque redire ausus.

Math. 7.
Causa aduentus S. Bern.

Epiſcopus & Cardinalis Oſtieſis. 1. Macca. 10. potenti dextra cooperante. In quibus præcipuus eſt uenerabilis Hoſtienſis epiſcopus ab Apoſtolica ſede ad hoc ipſum directus, homo qui magna fecit in Iſrahel, & uictoriam dedit Eccleſiæ ſuę in multis per illum Dominus omnipotens. Tua intereſt uir inclyte, honorifice ſuſcipere illum, & eos qui cum ipſo ſunt, ac ne tantus labor tantorum uirorum, pro tua potiſſimum tuorumq; ſalute ſuſceptus, inefficax ſit, ſecundum poteſtatem deſuper datam tibi, operam dare.

VII. AD TOLOSANOS *poſt reditum ſuum.*

Epiſtola Bern. ccxli. IN Aduentu chariſſimi fratris, et Coabbatis noſtri Bernardi de grandi ſylua exultauimus, & delectati ſumus in his quæ dicta ſunt nobis ab illo, de conſtantia & ſinceritate fidei ueſtræ in Deum, De perſeuerantia dilectionis, & Laus Toloſanorū pro fide contra hæreticos. deuotionis in nos, de zelo & odio aduerſus Hęreticos, ita ut quiſq; ueſtrum merito dicere poſſit. Nonne qui oderunt te domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Pſal. 138. perfecto odio oderam illos: inimici facti ſunt mihi. Gratias Hęretici per aduentum Bern. confutati. agimus Deo quia non fuit ocioſus aduentus noſter ad uos. Et mora quidem breuis apud uos, ſed non infructuoſa, Veritate nimirum per nos: manifeſtata autem non ſolum Pſal. 13. & 52 in ſermone ſed etiam in uirtute, depræhenſi ſunt Lupi, qui Can. 2. uenientes ad uos in ueſtimentis ouium, deuorabant plebem ueſtram, ſicut Eſcam Panis, ſicut oues occiſionis: Depræhenſæ uulpes, quæ demoliebantur preciosiſſimam uineam domini, ciuitatem ueſtram, Deprehenſæ, ſed non comprehenſæ, Propterea dilectiſſimi perſequimini & compre- Expellendi de cunctis finibus hæretici. hendite

hendite eos, & nolite desistere donec penitus depereant, & diffugiant de cunctis finibus uestris, quia non est tutum dormire uicinis serpentibus, Sedent in insidijs cum diuitibus in occultis, ut interficiant innocentes: Fures sunt & latrones, quales in Euangelio dominus notat. Subuersi sunt & parati ad subuertendum, plane maculatores famæ uestræ: corruptores fidei uestræ, Corrũpunt mores bonos colloquia praua. Præsertim talium sermo, sicut dicit Beatus Apostolus, serpit ut cancer.

Psal. 9.
Ioh. 10.
1. Cor. 15.
2. Timo. 2.

„Quis dabit mihi ut habeam oportunitatem semel adhuc ueniendi ad uos? Nam uoluntatem habeo, si quomodo possum in uoluntate domini secundo uidere uos, laborem non reputaturus, quamuis corpore infirmus, & debilis, pro uestra exhortatione & salute. Interim autem sic state in Domino Charissimi, sicut cœpistis & accepistis a nobis, Obedite Episcopo, cæterisq; præpositis uestris, magistris Ecclesiæ. Habete diligentiam hospitalitati, quia per hanc multi placuerunt Deo, Abraam pater uester pro studio sancto, quod in suscipiendis peregrinis habere solitus erat, Angelos hospites suscipere meruit, Similiter & Loth nepos eius pro simili deuotione & pia consuetudine de eorum susceptione exultauit. Et uos itaq; simili forma non Angelos, sed Dominum Angelorum suscipite in peregrinis, pascite in egenis, Operite in nudis, uisitate in languentibus, redimite in captiuis, Talibus hostijs promeretur Deus: qui in iuditio dicturus est: Quod uni ex his minimis meis fecistis; mihi fecistis.

Desyderiũ redeundi ad Tol.
Hospitalitas
Gen. 18.
Heb. 13.
Math. 25.

Hoc etiam moneo uos charissimi, quod & dicebam uobis cum præsens essem, ut nullum extraneum siue ignotum

Ne admittatur extraneus aut ignoti Prædicatores.

ignotum prædicatorem recipiatis, niſi qui miſſus a ſummo ſeu a ueſtro permiſſus pontifice prędicauerit. Quomodo (inquit) prędicabunt niſi mittantur? Ipſi ſunt qui induentes ſibi formam pietatis, & uirtutem eius penitus abnegantes, prophanas nouitates uocum, & ſenſuum tanquam melli uenenum: uerbis cęleſtibus intermiſcent, Cauete proinde eos tanquam ueneficos, & cognoſcite in ueſtimentis ouium Lupos rapaces.

Ro. 10. Tit. 1.

Abbas Grandis ſyluæ.

Sit uobis comendatus lator epiſtolæ uenerabilis, Abbas Grandis ſyluæ, & Domus eius, quæ & noſtra eſt, nuper nobis & noſtro ordini ab ipſo tradita, & Eccleſię Clarçuallis ſpecialiter aſſociata. Oſtendite nobis in ipſo, et in ſanctis qui cum eo ſunt, quantum profeceritis ex noſtra admonitione in operibus miſericordiæ, & date in eis experimentum ueſtræ charitatis, & deuotionis quam habetis erga nos. Quicquid illis feceritis mihi factum reputate. Gratia Dei & Pax ſit Vobiscum Amen.

VIII. PETRVS CLVNIACENSIS ABBAS AD BERNARDUM ABBATEM CLARÇUALLENSEM.

VIII. Petrus Cluniacenſis Abbas ad Bernardum Abbatem Clarçuallenſem.

Epiſtola cclxiiij. S. Bernardus columna Eccleſiæ. Prouerb. 16. S. Bern. Conciuis Angelorum.

FOrti ac ſplendidæ Monaſtici ordinis, immo totius Eccleſiæ Dei columnæ: Domino. B. Claræuallis Abbati: Petrus Humilis Cluniacenſis Abbas ſalutem, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Si liceret, ſi Dei diſpoſitio non obſtaret, ſi in hominis poteſtate eſſet uia eius, maluiſſem chariſſimæ beatitudini tuæ nexu indiſſolubili adhærere, quam uel principari inter mortales alicubi uel regnare, Quid enim? Nonne regnis omnibus terrenis præferri a me deberet grata non ſolum hominibus, ſed & angelis ipſis cohabitatio tua?

tua? Conciuem te illorum si dixero: licet non dum spes in rem transierit, per misericordiæ dei gratiam mendax non ero. Si plane mihi datum fuisset usq; ad ultimum spiritum tecum hic esse: daretur fortassis post hac & ubi esses, etiam perpetuo esse. Quo enim currerem nisi post te, tractus odore unguentorum tuorum a te? Quod quia semper non datur: utinam sæpe daretur. Et quia nec illud est, utinam saltem frequenter uideam missos a te, Et hoc quoq; quia raro contingit, uolo ut uel in proximo sanctitas tua amantem se per suum nunctium, usque ad octauas Domini mecum mansurum uisitet, in quo tuus, ut mihi uidetur, ex parte, & meus ex toto spiritus requiescit. Videbo te sancte frater in illo, audiam te per illum: & quædam quæ secreto nota fieri uolo sapientiæ tuæ, mandabo per ipsum. Sanctæ animæ tuæ sanctisque sub regimine tuo omnipotenti deo seruientibus, me nostrosque, quantis possum precibus, quanta possum deuotione, commendo.

Can. 1.

Quanta huius Petri ad S. Bern. charitas et amoris desyderium.

IX. AD PETRUM CLUniacensem Abbatem.

QVid facis o bone uir? Laudas Peccatorem, miserum beatificas. Restat ut ores ne inducar in errorem. Inducor autem si tantis delectatus præconijs, ignorare me cæpero. Propemodum id mihi contigerat uisis literis beatificationis meæ. Quam beatus nunc essem, si uerbis beari possem? Beatum tamen me dicerem, sed fauore tuo non meis laudibus. Beatum quod diligor a te, quod diligo te. Quamquam & hanc mihi dulcem licet buccellam liquan-

Epistola Bern cclxv

Humilitas S. Bern.

liquandam arbitror: nec omnino (ut aiunt) plenis buccis ad mittendam, Miraris cur hoc, nempe non uideo in me unde tantum diligi meruerim, presertim a tanto. Scio autē quia plus iusto uelle diligi: minus est a iusto. Quis mihi det tantæ humilitatis in signe: tam imitari posse ꝙ ammirari? Quis mihi tribuat sancta, & desiderata præsentia tua: nō dico semper, non dico sæpe: sed uel semel in anno frui, puto quia nulla uice reuerterer uacuus, Non inꝗ frustra conspicerem uirtutis Exemplar, disciplinæ summam, speculum sanctitatis. Quod ꝙ minus usꝗ adhuc a Christo didicisse me fateor, nō incassum fide oculata perciperem ꝙ sis & tu mitis & humilis corde. Verum si tibi pergo facere quod a te mihi factum queror, & si ueritatem dicam; ueritatis tamen legi non concordabo, in qua legitur. Quod tibi non uis fieri alij ne feceris.

Laudes Petri Cluniacēsis.

Tob. 4. Math. 7.

Responsio ad illius petitionem.

Itaꝗ iam respondeamus petitiunculæ uestræ: qua epistolam conclusistis. Is quem mitti uobis iubetis, modo mecū non est, sed cum Domino Antisiodorensi: & ita infirmus, ut sine nimio incommodo, nec ad nos usꝗ posse adhuc uenire dicatur.

ERRATA